STATUTES

OF THE

COLLEGES OF OXFORD;

WITH

ROYAL PATENTS OF FOUNDATION,
INJUNCTIONS OF VISITORS,

AND

CATALOGUES OF DOCUMENTS RELATING TO THE UNIVERSITY,
PRESERVED IN THE PUBLIC RECORD OFFICE.

JESUS COLLEGE.

EDITED BY THE

HIS MAJESTY'S COMMISSIONERS

FOR INQUIRING INTO THE

STATE OF THE UNIVERSITY OF OXFORD.

PRINTED BY W. JAMES AND SON, PEARTREE STREET
FOR HIS MAJESTY'S STATIONERY OFFICE.

PUBLISHED BY
J. H. PARKER, OXFORD; AND
LONGMAN, BROWN, GREEN, AND LONGMANS, LONDON.
1853.

Price Two Shillings.

Digitized by Google

378.42
098asb
v.6

STANFORD·VNIVERSITY·LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

STATUTES OF JESUS COLLEGE,
OXFORD.

STANFORD LIBRARY

Digitized by Google

382818

STANFORD LIBRARY

Digitized by Google

PREFACE.

THE Statutes of Jesus College, Oxford, were given in the year 1622, by four Commissioners appointed by King James I.

The text now published, together with an Appendix of documents relating to the College, is copied from a manuscript in the British Museum, marked "Additional MS. 6044:" corrections having been introduced by means of a collation with a manuscript in the Lambeth Library, numbered 732; words supplied from which are marked by brackets.

Digitized by Google

PATENTS 13 ELIZ. p. 1. m. 16.

De concessione pro Principali, Sociis et scholaribus, Jesus Collegii Oxoniæ.

REGINA, &c., omnibus ad quos, &c., salutem. Sciatis quod nos, immensa Dei beneficia erga nos et regnum nostrum Angliæ recolentes, qui diuturnam, pacificam, omnique prosperitate florentem, sic in bello gloriossimis successibus de gratia perpetuo transactis, hujus regni nostri Angliæ gubernationem nobis concessit, præsertim vero quod ad sinceram veritatem Christianæ religionis in regno nostro afferendam et propugnandam, et cum contra illicitas enormitates ac nefarios abusus, tum contra hæreticorum malignas et pestiferas impietates, strenue defendendam, divinitus à Deo, in cujus manu sunt corda regum, auxiliati et adjuti sumus; ne tanta gratia quam in nos Deus tam affluenter dignatus est effundere videamur indigni, sed, gratitudinem pro præteritis Dei beneficiis declarantes, spem quoque de futuris confirmemus, ad summi et omnipotentis Dei gloriam et honorem, ad Christianæ et sinceræ religionis amplificationem et stabilimentum, ad errorum et falsarum persuasionum extirpationem, ad augendum et continuandum pietatis cultum, ad omnis generis bonarum literarum incrementa, ad linguarum cognitionem, ad juventutis in pietate et virtute ac disciplina et scientia educationem, ad pauperum et inopia afflictorum sublevationem, denique, ad Ecclesiæ Christi, regni nostri ac subditorum nostrorum, communem utilitatem et felicitatem, de gratia nostra speciali ac ex certa scientia et mero motu nostris, quoddam collegium eruditionis scientiarum, philosophiæ, bonarum artium, linguarum cognitionis Hebraicæ, Græcæ et Latinæ, ad finalem sacræ theologiæ professionem, perpetuis futuris temporibus duraturam, in solo, fundo, situ et præcinctu, nuper Aulæ nostræ, vulgariter nuncupatæ Whitehall, cum pertinentiis, in civitate sive alma academia sive Universitate nostra Oxoniensi, in comitatu nostro Oxoniensi, situatæ et existentis, videlicet, de uno Principali, octo Sociis et octo scholaribus, creari, erigi, fundari et stabiliri, decrevimus. Et idem collegium de uno Principali, et octo Sociis ac octo scholaribus, tenore præsentium realiter et ad plenum ibidem creamus, erigimus, fundamus, ordinamus, facimus, constituimus et stabilimus, perpetuis futuris temporibus duraturum, et sic stabiliri, et imperpetuum inviolabiliter observari, volumus et jubemus, ipsumque collegium Collegium Jhesus infra civitatem et Universitatem Oxoniæ ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero *Jhesus College wythin the Citie and Universitie of Oxforth, of Quene Elizabethe's fundacion,* imperpetuum

Digitized by Google

nominari, nuncupari et vocari, volumus, et decrevimus per præsentes. Et ulterius, ut collegium illud de personis congruis in singulis locis et gradibus suis provideatur, perimpleatur et decoretur, dilectum nobis Davidum Lewes legum Doctorem, primum, originalem et modernum, Principalem collegii nostri prædicti, ac de prædicto numero octo Sociorum Thomam Huick legum Doctorem, Johannem Cotterell legum Doctorem, Johannem Lloyd legum Doctorem, Willielmum Aubrey legum Doctorem, Robertum Laugher legum Doctorem, Robertum Johnson sacræ theologiæ baccalaureum, Thomam Huyt artium Magistrum, Johannem Higgenson artium Magistrum; necnon de numero prædictorum octo scholarium Gregorium Downehall, Launcelotum Andrewes, Johannem Wilford, Franciscum Yeomans, Willielmum Plat, Thomam Dove, Johannem Osmunde, Willielmum Garthe, scholares prædicti collegii tenore præsentium facimus, ordinamus et constituimus, per præsentes. Volentes, insuper, quod tam prædicti Principalis, octo Socii, et octo scholares prænominati, quam alii illis imposterum associandi, eligendi sive adjungendi, ad dictum numerum unius Principalis, octo Sociorum, et octo scholarium, perimplendum, in omnibus et per omnia se gerent, exhibebunt, conversabuntur et eligentur, juxta ordinationes, regulas et statuta, in hac parte imposterum fienda et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda. Volumus etiam ordinamus et declaramus per præsentes, quod prædicti Principalis, Socii et scholares, de cætero sint et erunt de se, et in re et nomine, unum corpus corporatum et politicum, habeantque successionem perpetuam; ipsosque Principalem, Socios et scholares, unum corpus corporatum et politicum in re et nomine facimus, creamus et stabilimus, ac eos pro uno corpore facimus, declaramus, ordinamus et acceptamus, acceptarique volumus per præsentes. Et quod ipsi Principalis, Socii et scholares, eorumque successores, per nomen Principalis, Sociorum et scholarium, Collegii Jhesus infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, prosequi, petere, clamare et placitare, possint et implacitari, ac defendere et defendi, ac respondere et responderi, in quibuscunque curiis et locis legum nostrarum et alibi ubicunque, coram quibuscunque judicibus, in et super omnibus et singulis causis, actionibus, sectis, demandis, brevibus et querelis, realibus, spiritualibus, ecclesiasticis, personalibus et mixtis, ac in placitis et querelis assisarum novæ disseisinæ, mortis antecessoris, attinctionis, erroris, scire facias, executionis, et appellarum quarumcunque, ac in omnibus aliis rebus, causis et materiis quibuscunque, dicto Collegio quoquo modo pertinentibus, spectantibus. Et quod per idem nomen maneria, dominia, terras, tenementa, possessiones, hæreditamenta, proficua et emolumenta, tam spiritualia sive ecclesiastica quam temporalia, et alia quæ-

Digitized by Google

cumque per nos per literas nostras patentes, hæredum seu successorum nostrorum, aut per aliquam aliam personam, vel alias personas quascunque, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, vel aliter, secundum leges nostras, aut hæredum vel successorum nostrorum, danda, conferenda seu concedenda, capere, recipere, perquirere et appropriare, necnon eadem dare, alienare et dimittere, quibuscunque personis in lege capacibus, possint et valeant: ac generaliter omnia alia et singula capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac facere et exequi, valeant ac possint, prout cætera collegia infra regnum nostrum Angliæ, seu eorum aliquod, capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac in aliquibus temporibus retroactis facere, consueverunt, aut exequi possint aut possit quovismodo. Et quod prædicti Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti, et successores sui imperpetuum, habeant et habebunt commune sigillum, ad omnia et omnimoda evidentias, res, materias, ac cætera scripta et facta sua, fienda, eos vel collegium prædictum aliquo modo tangentia sive concernentia, sigillanda; per quod se et successores suos astringere et obligare possint et valeant, ad tempus vel imperpetuum, juxta et secundum tenorem ejusdem scripti sic per illos sigillandi, et juxta ordinationes et statuta eis in hac parte imposterum fienda. Concessimus insuper pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, quod quandocunque post plenum numerum scholarium in eodem collegio institutorum, contigerit aliquem sive aliquos Sociorum sive scholarium collegii prædicti obire, recedere, amoveri, vel locum suum quocunque modo vacare, quod extunc electio hujusmodi Socii sive scholaris, aut Sociorum sive scholarium, de tempore in tempus imperpetuum, fiat juxta ordinationes, regulas et statuta, in hac parte imposterum fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda. Et quod ordo, modus et forma, hujusmodi electionis, de tempore in tempus perpetuis futuris temporibus, Socios et scholares prædicti collegii, qui pro tempore fuerint, tangentes, totaliter referetur ad ordinationes, regulas et statuta, dicti collegii, postmodum fienda et declaranda. Ac insuper, summa auctoritate nostra regia qua fungimur, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, per præsentes concedimus, quod collegium nostrum prædictum, ac Principalis, Socii et scholares, inde, et successores sui imperpetuum, uniantur, annectentur, consolidentur, et incorporentur dictæ Universitati nostræ Oxoniensi, ac ut pars, parcella et membrum, ejusdem Universitatis capiantur, adjudicentur, et sint; ac quod omnibus et singulis privilegiis, franchesiis, immunitatibus et libertatibus, quibuscunque dictæ academiæ sive Universitati nostræ Oxoniensi per nos seu progenitores nostros Reges Angliæ hactenus concessis, libere et integre gaudeant et fruantur imperpetuum.

Digitized by Google

Et præterea, de uberiori gratia nostra, dedimus et concessimus, ac per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, damus et concedimus præfatis Principali, Sociis et scholaribus, collegii nostri prædicti, et successoribus suis, totum illam domum, situm, septum, ambitum, circuitum et procinctum, dictæ nuper aulæ, vulgariter nuncupatæ Whitehall, in dicta civitate sive Universitate nostra Oxoniensi, cum omnibus et singulis suis juribus, membris et pertinentiis universis, ac cum omnibus antiquis privilegiis, libertatibus et liberis consuetudinibus ejusdem aulæ; ac etiam omnia et singula messuagia, domos, ædificia, structuras, capellas, tecta, curtilagia, atria, hortos, pomaria, gardinum, stagna, vivaria, aquas, piscaria, piscationes, canales aquarum, aquæductum, terram, fundum et solum, cum pertinentiis, infra eundem situm, septum, circuitum et præcinctum, ejusdem nuper aulæ, vulgariter vocatæ Whitehall, aut quæ ut pars, parcella seu membrum, ejusdem situs, ambitus et procinctus, fuerunt usitata, reputata seu æstimata, quæ nuper fuerunt Principalis et scholarium ejusdem nuper aulæ, vulgariter vocatæ Whitehall, in dicta civitate sive Universitate nostra Oxoniensi; ac etiam totum vitrum, plumbum, ac omnia campanas, vasa, jocalia, ornamenta, utensilia, bona, catalla, res et implementa quæcunque, prædictæ nuper aulæ, vocatæ Whitehall. Habendum, tenendum et gaudendum, omnia prædicta solum, fundum, situm, septum, ambitum, circuitum et procinctum, ac omnia prædicta messuagia, mansiones, domos, ædificia, atria, structuras, hortos, pomaria, gardina, canales, stagna, vivaria, ac terram et solum, infra eundem situm, cum omnibus et singulis antiquis privilegiis, liberis consuetudinibus, ac libertatibus et pertinentiis, una cum prædictis plumbo, vitro, campanis, vasibus, jocalibus, ornamentis, bonis, catallis, rebus et implementis, ac cæteris omnibus et singulis præmissis superius expressis et specificatis, cum eorum pertinentiis universis, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, imperpetuum, de nobis, hæredibus et successoribus nostris, in liberam, puram et perpetuam, eleemosinam. Cumque jam intelleximus quod Hugo Aprice legum Doctor, et ecclesiæ cathedralis Menevensis in comitatu nostro Pembrochiensi thesaurarius, instinctu caritatis, divina præveniente gratia, in animum induxit diversa maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia et alia hæreditamenta sua, clari annui valoris sexaginta librarum per annum, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, nostra mediante licentia, dare et concedere, in maximum Sociorum et scholarium, literis ibidem incumbentium, solamen et incitamentum, optimumque omnibus simile posthac imitandum præbens exemplum; Nos igitur, ut hæc sua devota intentio debitum et perpetuum nostra regia facultate simul et auctoritate sortiatur effectum, ad humilem petitionem ejusdem Hugonis, de gratia nostra spe-

Digitized by Google

ciali, ac ex certa scientia et mero motu nostris, dedimus et concessimus, ac pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, quantum in nobis est, per præsentes concedimus et licentiam damus, eidem Hugoni Aprice, quod ipse, hæredes, executores et assignati sui, maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, portiones, annuitates, ac omnia et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, tam spiritualia quam temporalia, ad valorem sexaginta librarum per annum ultra omnia onera et reprisas, prædictis Principali, Sociis et scholaribus et successoribus suis, dare, concedere, assignare seu legare, possint et valeant, seu eorum aliquis possit seu valeat; habenda, tenenda et gaudenda eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, imperpetuum. Dedimus etiam et concessimus, ac pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, quantum in nobis est, per præsentes concedimus et licentiam damus specialem, cuicunque alii personæ, et quibuscunque aliis personis, quod ipsi, hæredes, executores et assignati sui, maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, ac omnia et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, tam spiritualia quam temporalia, ad valorem centum librarum per annum, ultra omnia onera et reprisas, tam de feodo suo proprio quam alieno, dummodo de nobis, hæredibus vel successoribus nostris, non teneantur immediate in capite, vel per servitium militare, præfatis Principali, et Sociis et scholaribus, et successoribus suis, dare, concedere, assignare seu legare, possint seu valeant, aut eorum aliquis possit seu valeat; habenda, tenenda et gaudenda, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum, Et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, ac omnia alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, ad valorem prædictarum sexaginta librarum, a præfato Hugone Aprice recipere possint et tenere sibi eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum: et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi omnia maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, ac omnia hæreditamenta et possessiones quæcunque, ad valorem centum librarum per annum, a quacunque alia persona et quibuscunque aliis personis ea eis dare vel concedere volenti seu volentibus, recipere possint et tenere, sibi eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, sicut prædictum est, imperpetuum, tenore præsentium similiter licentiam dedimus, ac pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, damus specialem: statuto de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio statuto, actu, ordinatione, provisione seu restrictione, incontrarium facto, edito,

Digitized by Google

ordinato seu proviso, aut aliqua alia re, causa vel materia quacunque, in aliquo non obstante. Et hoc absque aliqua inquisitione sive aliquibus inquisitionibus inde, prætextu alicujus brevis sive mandati nostri, aut aliquorum brevium seu mandatorum nostrorum, aut hæredum vel successorum nostrorum, de "Ad quod damnum," seu alicujus alterius brevis, mandati seu præcepti nostri, aut hæredum vel successorum nostrorum, in hac parte fiendis, prosequendis seu habendis, aut in cancellariam nostram, hæredum vel successorum nostrorum, seu alibi retornandis; et absque aliquibus aliis literis nostris patentibus, seu warrantis nostris, aut hæredum vel successorum nostrorum, de, in sive pro, præmissis vel aliquo præmissorum, quovismodo impetrandis, habendis seu fiendis: aliquibus statutis, actubus seu ordinationibus, inde incontrarium antehac habitis, factis, editis, ordinatis seu provisis, in aliquo non obstantibus. Nolentes quod prædicti Principalis, Socii et scholares, vel successores sui, aut præfatus Hugo Aprice vel hæredes sui, aut aliqua alia persona vel personæ prænominatæ ratione præmissorum, sive eorum alicujus, per nos, hæredes vel successores nostros, aut per justitiarios, escaetores, vicecomites, ballivos, aut alios officiarios seu ministros nostros, aut dictorum hæredum vel successorum nostrorum, quoscunque, inde occasionentur, molestentur, impetantur, vexentur in aliquo seu graventur, nec eorum aliquis occasionetur, molestetur, vexetur in aliquo seu gravetur. Et ulterius volumus, ac pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, per præsentes concedimus, quod dictus Hugo Aprice, et prædilectus et fidelis consiliarius noster Nicholaus Bacon miles, Custos Magni Sigilli nostri Angliæ, ac prædilectus et fidelis consiliarius noster Willielmus Cecill miles Baro de Burghley, et Cancellarius seu Vicecancellarius noster Universitatis nostræ Oxoniensis pro tempore existens, et Gilbertus Gerrard generalis attornatus noster, ac prædictus David Lewes legum Doctor, Thomas Huycke et Willielmus Awbery legum Doctores, habeant et habebunt plenam potestatem, auctoritatem et facultatem, condendi, constituendi, ordinandi, sanciendi et stabiliendi, de tempore in tempus, hujusmodi leges, instituta, jura, ordinationes et constitutiones, quæ eisdem Nicholao, Willielmo, Hugoni, Gilberto, Cancellario, Vicecancellario, David, Thomæ, et Willielmo Awbrey, sive eorum majori parti, bona, salubria, utilia, honesta et necessaria, juxta eorum sanas discretiones, fore videbitur, pro bonis regimine et gubernatione Principalis et Sociorum et scholarium prædictorum, ac omnium et singulorum officiariorum et ministrorum collegii prædicti, pro tempore existentium; ac pro declaratione quo modo et ordine prædicti Principalis, Socii et scholares, ac cæteri ministri et officiarii collegii illius, in functionibus, ministeriis et negotiis suis, infra collegium prædictum ac libertates ejusdem, pro tempore existente, sese habebunt et

Digitized by Google

gerent ac utantur, ac aliter pro bono publico, communi utilitate, et bono regimine collegii prædicti, ac pro victualatione ejusdem, ac pro meliori præservatione, gubernatione, dispositione, locatione et dimissione, terrarum, tenementorum, possessionum, reventionum et hæreditamentorum, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, datorum, concessorum sive assignatorum, aut imposterum concedendorum, dandorum vel assignandorum, ac res et alias causas quascunque collegium prædictum, ac statuta, jura et interesse, ejusdem collegii tangentes in aliquo seu concernentes. Et ulterius volumus, ac pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, per præsentes concedimus, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, quod habeant et habebunt has literas nostras patentes sub Magno Sigillo nostro Angliæ confectas, absque aliquali fine sive feodo, magno vel parvo, nobis in Hanaperio nostro seu alibi, ad usum nostrum, proinde quoquo modo reddendo, solvendo vel faciendo. Eo quod expressa mentio, &c. Aliquo statuto, &c. In cujus rei, &c. Teste Regina. apud Westmonasterium, 27 die Junii.

Per breve de privato sigillo.

PATENTS 19 Jac. p. 8, no. 13.

De concessione Principali, Sociis et scholaribus, collegii Jesu in Oxonia, sibi et successoribus.

Rex omnibus ad quos, &c., salutem. Cum præcarissima soror nostra Elizabetha, nuper Regina Angliæ, per literas suas patentes Magno Sigillo Angliæ sigillatas, gerentes datam apud Westmonasterium, vicesimo septimo die Junii, anno regni sui tertiodecimo, pro consideratione in eisdem literis patentibus expressa et contenta, de gratia sua speciali, ac ex certa scientia et mero motu suis, quoddam collegium eruditionis scientiarum, philosophiæ, bonarum artium, linguarum cognitionis Hebraicæ, Græcæ et Latinæ, ad finalem sacræ theologiæ professionem, perpetuis futuris temporibus duraturum, in solo, fundo, situ et præcinctu, nuper Aulæ suæ, vulgariter nuncupatæ Whitehall, cum pertinentiis, in civitate sive alma academia sive Universitate Oxoniensi, in comitatu Oxoniensi, situatum et existens, videlicet, de uno Principali, octo Sociis et octo scholaribus, creari, erigi, fundari et stabiliri decreverit; et idem collegium de uno Principali et octo Sociis, ac octo scholaribus, tenore prædictarum literarum patentium realiter et ad plenum ibidem creaverit, erexerit, fundaverit, ordinaverit, fecerit, constituerit et stabiliverit, perpetuis futuris temporibus duraturum, et sic stabiliri et imperpetuum inviolabiliter observari voluerit et

Digitized by Google

jusserit; ipsumque collegium Collegium Jhesu infra Civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero *Jhesus Colledge within the Cittye and University of Oxforth, of Queene Elizabeth's foundation*, imperpetuum nominari, nuncupari et vocari, voluerit et decreverit per easdem literas patentes. Et ulterius ut collegium illud de personis congruis in singulis locis et gradibus suis provideretur, perimpleretur et decoretur, dilectum sibi Davidem Lewes legum Doctorem primum, originalem et modernum, Principalem collegii sui prædicti; ac de prædicto numero octo Sociorum Thomam Huyck legum Doctorem, Johannem Cotterell legum Doctorem, Johannem Lloyd legum Doctorem, Willielmum Awbrey legum Doctorem, Robertum Laugher legum Doctorem, Robertum Johnson sacræ theologiæ bachalaureum, Thomam Huyt artium Magistrum, Johannem Higgenson artium Magistrum; necnon de numero prædictorum octo scholarium Georgium Downehall, Lancelotum Andrewes, Johannem Wilford, Franciscum Yeomans, Willielmum Platt, Thomam Dove, Johannem Osmond, Willielmum Garth, scholares prædicti collegii, tenore dictarum literarum patentium fecerit, ordinaverit et constituerit. Volentes insuper per easdem literas patentes quod tam prædicti Principalis, octo Socii et octo scholares prænominati, quam alii illis tunc deinceps associandi et eligendi, sive adjungendi, ad dictum numerum unius Principalis, octo Sociorum et octo scholarium, perimplendum, in omnibus et per omnia se gererent, exhiberent, conversarentur et eligerentur, juxta ordinationes, regulas et statuta, in ea parte tunc deinceps fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda. Voluerit etiam, ordinaverit et declaraverit, eadem nuper Regina Elizabetha, per dictas literas suas patentes, quod prædicti Principalis, Socii et scholares, extunc de cætero essent et forent de se, in re et nomine, unum corpus corporatum et politicum, haberentque successionem perpetuam; ipsosque Principalem, Socios et scholares, unum corpus corporatum et politicum in re et nomine fecerit, creaverit et stabiliverit; ac eos pro uno corpore fecerit, declaraverit, ordinaverit et acceptaverit, acceptarique voluerit per easdem literas patentes. Et quod ipsi Principalis, Socii et scholares, eorumque successores, per nomen Principalis, Sociorum et scholarium, Collegii Jhesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, prosequi, petere, clamare et placitare possint, et implacitari, ac defendere et defendi, ac respondere et responderi, in quibuscunque curiis et locis legum dictæ nuper Reginæ, et alibi ubicunque coram quibuscunque judicibus, in et super omnibus et singulis causis, actionibus, sectis, demandis, brevibus et querelis, realibus, spiritualibus, ecclesiasticis, personalibus et mixtis, ac in placitis et querelis assisarum novæ disseisinæ, mortis antecessoris, attinctionis, erroris, scire facias, executionis

Digitized by Google

et appellarum quarumcunque; ac in omnibus aliis rebus, causis et materiis quibuscunque, dicto collegio quoquo modo pertinentibus sive spectantibus. Et quod per idem nomen, maneria, dominia, terras, tenementa, possessiones, hæreditamenta, proficua et emolumenta, tam spiritualia sive ecclesiastica, quam temporalia, et alia quæcunque, per dictam nuper Reginam per literas suas patentes, hæredum et successorum suorum, aut per aliquam aliam personam, vel alias personas quascunque, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, vel aliter, secundum leges dictæ Reginæ, aut hæredum vel successorum suorum, danda, conferenda seu concedenda, capere, recipere, perquirere et appropriare, necnon eadem dare, alienare et dimittere, quibuscunque personis in lege capacibus possent et valerent; ac generaliter omnia alia et singula capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac facere et exequi, valerent et possent, prout cætera collegia infra regnum Angliæ, seu eorum aliquod, capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac in aliquibus temporibus retroactis facere consueverunt, aut exequi possent aut posset quovismodo. Et quod prædicti Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti, et successores sui imperpetuum, haberent commune sigillum, ad omnes et omnimodas causas, evidentias, res, materias, et cætera scripta et facta sua fienda, eos vel collegium prædictum aliquo modo tangentia sive concernentia, sigillanda; per quod se et successores suos astringere et obligare possent et valerent ad tempus vel imperpetuum, juxta et secundum tenorem ejusdem scripti sic per eos sigillandi, et juxta ordinationes et statuta eis in hac parte tunc de cætero fienda. Concesserit insuper præfata nuper Regina, pro se, hæredibus et successoribus suis, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, quod quandocunque post plenum numerum scholarium in eodem collegio institutum, contingeret aliquem sive aliquos Sociorum sive scholarium collegii prædicti obire, recedere, amoveri, vel locum suum quocunque modo vacare, quod extunc electio hujusmodi Socii sive scholaris, aut Sociorum sive scholarium, de tempore in tempus imperpetuum fieret juxta ordinationes, regulas et statuta, in ea parte tunc deinceps fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda; et quod ordo, modus et forma, hujusmodi electionis, de tempore in tempus, perpetuis tunc futuris temporibus, Socios et scholares prædicti collegii, qui pro tempore forent, tangens, totaliter referretur ad ordinationes, regulas et statuta, dicti collegii postmodum fienda et declaranda. Ac insuper dicta nuper Regina Elizabetha summa auctoritate sua regia qua fungebatur, pro se, hæredibus et successoribus suis, concesserit quod collegium suum prædictum, ac Principalis, Socii et scholares inde, et successores sui imperpetuum, unirentur, annectarentur, consolidarentur et incorporarentur dictæ Universitati suæ Oxoniensi, ac ut pars,

Digitized by Google

parcella et membrum, ejusdem Universitatis caperentur, adjudicarentur et essent; ac quod omnibus et singulis privilegiis, franchesiis, immunitatibus et libertatibus quibuscunque, dictæ Academiæ sive Universitati suæ Oxoniensi, per se, seu progenitores suos Reges Angliæ antetunc concessis, libere et integre gauderent et fruerentur imperpetuum. Et præterea dicta nuper Regina Elizabetha, de uberiori gratia sua, dederit et concesserit, et per easdem literas patentes, pro se hæredibus et successoribus suis, dederit et concesserit præfatis Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti, et successoribus suis, totam illam domum, situm, septum, ambitum, circuitum et præcinctum, dictæ nuper Aulæ, vulgariter nuncupatæ Whitehall, in dicta civitate sive Universitate Oxoniensi, cum omnibus et singulis suis juribus, membris et pertinentiis universis, ac cum omnibus antiquis privilegiis, libertatibus et liberis consuetudinibus ejusdem Aulæ: ac etiam omnia et singula messuagia, domos, ædificia, structuras, capellas, tecta, curtilagia, atria, hortos, pomaria, gardina, stagna, vivaria, aquas, piscarias, piscationes, canales aquarum, aquæductus, terram, fundum et solum cum pertinentiis, infra eundem situm, septum, circuitum et præcinctum, ejusdem nuper Aulæ, vulgariter vocatæ Whitehall, aut quæ ut pars, parcella seu membrum, ejusdem situs, ambitus et præcinctus, fuerunt usitata, reputata seu æstimata, quæ nuper fuerunt Principalis et scholarium ejusdem nuper Aulæ vulgariter vocatæ Whitehall, in dicta civitate sive Universitate Oxoniensi: ac etiam totum vitrum, plumbum, ac omnia campanas, vasa, jocalia, ornamenta, utensilia, bona, catalla, res et implementa quæcunque, prædictæ nuper Aulæ vocatæ Whitehall: habendum, tenendum et gaudendum, omnia prædicta solum, fundum, situm, septum, ambitum, circuitum et præcinctum, ac omnia prædicta messuagia, mansiones, domos, ædificia, atria, structuras, hortos, pomaria, gardina, canales, stagna, vivaria, ac terram et solum, infra eundum situm, cum omnibus et singulis antiquis privilegiis, liberis consuetudinibus ac libertatibus, et pertinentiis, una cum prædictis plumbo, vitro, campanis, vasibus, jocalibus, ornamentis, bonis, catallis, rebus, et implementis, ac cæteris omnibus et singulis præmissis superius expressis et specificatis, cum eorum pertinentiis universis, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum, de præfata nuper Regina, hæredibus et successoribus suis, in liberam, puram et perpetuam eleemosinam. Et ulterius præfata nuper Regina Elizabetha, per easdem literas suas patentes, ad humilem petitionem Hugonis Aprice legum Doctoris, et pro consideratione in eisdem literis patentibus expressa, concesserit et licentiam dederit eidem Hugoni Aprice, quod ipse, hæredes, executores et assignati sui, maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, portiones, annuitates, et omnia, et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque,

Digitized by Google

tam spiritualia quam temporalia, ad valorem sexaginta librarum per annum ultra omnia onera et reprisas, prædictis Principali ac Sociis et scholaribus et successoribus suis, dare, concedere, assignare seu legare, possent et valerent, seu eorum aliquis posset et valeret: habenda, tenenda, et gaudenda eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum. Dederit etiam et concesserit præfata nuper Regina, et pro se, hæredibus et successoribus suis (quantum in se fuerit), per easdem literas patentes, concesserit et licentiam dederit specialem cuicunque aliæ personæ, et quibuscunque aliis personis, quod ipsi, hæredes, executores et assignati sui, maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, et omnia et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, tam spiritualia quam temporalia, ad valorem centum librarum per annum ultra omnia onera et reprisas, tam de feodo suo proprio quam alieno, dummodo de præfata nuper Regina, hæredibus vel successoribus suis, non tenerentur immediate in capite, vel per servitium militare, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, dare, concedere, assignare seu legare, possent et valerent, aut eorum aliquis posset seu valeret; habenda, tenenda et gaudenda eisdem Principali, Sociis et scholaribus et successoribus suis imperpetuum. Et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, et omnia alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, ad valorem prædictarum sexaginta librarum, a præfato Hugone Aprice recipere possent, et tenere sibi eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum. Et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi omnia alia maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, ac omnia alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, ad valorem centum librarum per annum, a quacunque alia persona, et quibuscunque aliis personis, ea eis dare vel concedere volenti vel volentibus, recipere possent et tenere sibi eisdem Principali, Sociis et scholaribus et successoribus suis, sicut prædictum est, imperpetuum, tenore earundem literarum patentium, similiter licentiam pro se, hæredibus et successoribus suis, dederit specialem: statuto de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio statuto, actu, ordinatione, provisione sive restrictione, in contrarium facto, edito, ordinato seu proviso, aut aliqua alia re, causa, vel materia quacunque, in aliquo non obstante. Et ulterius eadem nuper Regina voluit, ac pro se, hæredibus et successoribus suis, per easdem literas patentes concesserit, quod dictus Hugo Aprice, et prædilectus et fidelis consiliarius suus Nicholaus Bacon miles, adtunc Custos Magni Sigilli sui Angliæ, ac prædilectus et fidelis consiliarius suus Willielmus Cecill miles, tunc baro de Burghley,

Digitized by Google

et Cancellarius seu Vicecancellarius Universitatis Oxoniensis pro tempore existens, et Gilbertus Gerrard tunc generalis attornatus suus, ac prædictus David Lewes legum Doctor, Thomas Huyck et Willielmus Awberey legum Doctores, habeant et habebunt plenam potestatem auctoritatem, et facultatem condendi, constituendi, ordinandi, sanciendi et stabiliendi, de tempore in tempus, hujusmodi leges, instituta, jura, ordinationes et constitutiones, quæ eisdem Nicholao, Willielmo, Hugoni, Gilberto, Cancellario, Vicecancellario, Davidi, Thomæ, et Willielmo Awberey, sive eorum majori parti, bona, salubria, utilia, honesta et necessaria, juxta eorum sanas discretiones fore videretur, pro bonis regimine et gubernatione Principalis ac Sociorum et scholarium prædictorum, ac omnium et singulorum officiariorum, ministrorum collegii prædicti pro tempore existentium. Ac pro declaratione quo modo et ordine prædicti Principalis, Socii et scholares, ac cæteri ministri et officiarii collegii illius, in functionibus, ministeriis et negotiis suis, infra collegium prædictum ac libertatem ejusdem, pro tempore existente, sese haberent et gererent, ac uterentur; ac aliter pro bono publico, communi utilitate, et bono regimine collegii prædicti, ac pro victualatione ejusdem, ac pro meliori preservatione, gubernatione, dispositione, locatione et dimissione, terrarum, tenementorum, possessionum, reventionum et hæreditamentorum, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, tunc datorum, concessorum sive assignatorum, aut tunc deinceps concedendorum, dandorum vel assignandorum; ac res, et alias causas quascunque, collegium prædictum, ac statuta, jura et interesse ejusdem collegii tangentia in aliquo, seu concernentia, prout per easdem literas patentes (inter alia) plenius liquet et apparet. Cumque etiam prædicta nuper Regina Elizabetha, per alias literas suas patentes Magno Sigillo Angliæ sigillatas, gerentes datam apud Westmonasterium septimo die Julii, anno regni sui tricesimo primo, recitantes prout in eisdem recitatur, ordinaverit, fecerit et constituerit, Franciscum Bevans, legum Doctorem, Principalem collegii prædicti pro termino vitæ suæ; et ulterius per easdem literas patentes ultimo mentionatas voluerit, ac pro se, hæredibus et successoribus suis, concesserit præfatis Principali, Sociis et scholaribus, quod tunc reverendissimus in Christo pater, ac fidelis consiliarius suus, Johannes adtunc Archiepiscopus Cantuariensis, ac tunc prædilectus et fidelis consiliarius suus Christoferus Hatton, prænobilis Ordinis Garterii miles, adtunc dominus Cancellarius Angliæ, prædilectus et fidelis consiliarius suus Willielmus Cecill miles, tunc Baro de Burghley, Magnus Thesaurarius Angliæ, reverendus in Christo pater Herbertus adtunc Episcopus Herefordensis, Cancellarius, et Vicecancellarius Universitatis Oxoniensis, pro tempore existens, præfatus Gilbertus Gerrard adtunc miles et Magister Rotulorum Cancellariæ suæ, Johannes Herbert adtunc Magister Libellorum Supplicum,

Digitized by Google

Gabriel Goodman, adtunc Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Westmonasteriensis, Willielmus Awberey, Henricus Jones, Johannes Lloyd, et præfatus Franciscus Bevans, legum Doctores, et Ricardus Harries, artium Magister, et Collegii Aenii Nasi infra Universitatem Oxoniensem adtunc Principalis, et quicunque tres aut plures eorum, haberent plenam potestatem, auctoritatem et facultatem, condendi, constituendi, ordinandi, sanciendi et stabiliendi, de tempore in tempus, hujusmodi leges, instituta, jura, ordinationes et constitutiones, quæ eisdem Johanni, Christofero, Willielmo domino Burghley, Herberto, Cancellario, Vicecancellario, Gilberto, Johanni Herbert, Gabrieli, Willielmo Awberey, Henrico, Johanni Lloyd, Francisco Bevans, et Ricardo Harries, aut quibuscunque tribus aut pluribus eorum, ut præfertur, bona, salubria, utilia, honesta et necessaria, juxta eorum sanas discretiones fore viderentur, pro electione, bonis regimine et gubernatione, Principalis, Sociorum et scholarium prædictorum, ac omnium et singulorum officiariorum ministrorum collegii prædicti pro tempore existentium, et pro declaratione quo modo et ordine prædicti Principalis, Socii et scholares, ac cæteri ministri et officiarii collegii illius in functionibus, ministeriis et negotiis suis, infra collegium prædictum, ac libertatem ejusdem, pro tempore existentes, sese habebunt, et gerent, ac utentur, ac aliter pro bono publico, et communi utilitate et bono regimine collegii prædicti, ac pro victualatione ejusdem, ac pro meliori præservatione, gubernatione, dispositione, locatione, dimissione terrarum, tenementorum, possessionum, reventionum et hæreditamentorum, eisdem Principali, Sociis et scholaribus et successoribus suis, datorum, concessorum sive assignatorum, aut imposterum dandorum, concedendorum vel assignandorum, ac rerum et aliarum causarum quarumcunque collegium prædictum, statum, jus et interesse, ejusdem collegii tangentium in aliquo seu concernentium. Et præfata nuper Regina, de uberiori gratia sua, ac ex certa scientia et mero motu suis, voluerit ac per easdem literas patentes pro se, hæredibus et successoribus suis, concesserit præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, quod quandocunque contingeret aliquem Principalem, sive aliquem sive aliquos Sociorum sive scholarium, collegii prædicti obire, recedere, amoveri, vel locum suum aut locos suos quocunque modo vacare, quod extunc electio hujusmodi Principalis, Socii sive scholarium, aut Sociorum sive scholarium, de tempore in tempus imperpetuum, fieret juxta ordinationes, regulas et statuta, in ea parte tunc deinceps fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda, ut præfertur, et quod ordo, modus et forma, hujusmodi electionis, de tempore in tempus, perpetuis futuris temporibus, Principales, Socios et scholares, prædicti collegii, qui pro tempore forent, tangentis; totaliter referretur ordinationibus, regulis et statutis, dicti collegii, postmodum fiendis et declarandis, ut præfertur.

Digitized by Google

Dederit etiam et concesserit præfata nuper Regina Elizabetha, ac pro se, hæredibus et successoribus suis (quantum in se fuit), per easdem literas patentes concesserit et licentiam dederit specialem, cuicunque personæ et quibuscunque personis, quod ipsi, hæredes, executores et assignati sui, maneria, terras, tenementa. redditus, reventiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, ac omnia et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, tam spiritualia quam temporalia, ad valorem ducentarum librarum per annum ultra omnia onera et reprisas, tam de feodo suo proprio quam alieno, dummodo de dicta nuper Regina, hæredibus vel successoribus suis, non tenerentur immediate in capite, vel per servitium militare, nec de alio per servitium militare, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, dare, concedere, assignare seu legare, possent seu valerent, aut eorum aliquis posset seu valeret: habenda, tenenda et gaudenda, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum. Et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi hujusmodi maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, hæreditamenta et possessiones, ad valorem ducentarum librarum per annum, a quacunque persona et quibuscunque personis ea eis dare vel concedere volenti seu volentibus, recipere possent, et tenere sibi eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, sicut prædictum est imperpetuum, et tenore dictarum literarum patentium similiter licentiam pro se, hæredibus et successoribus suis, dederit specialem. Statuto de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio statuto, actu, ordinatione, provisione sive. restrictione, incontrarium facto, edito, ordinato seu proviso, aut aliqua alia re, causa vel materia quacunque, non obstante. Et hoc absque aliqua inquisitione sive aliquibus inquisitionibus, inde prætextu alicujus brevis sive mandati sui, aut aliquorum brevium seu mandatorum suorum, aut hæredum vel successorum suorum, de "Ad quod dampnum," seu alicujus alterius brevis, mandati seu præcepti sui, aut hæredum vel successorum suorum, in ea parte fiendis, prosequendis seu habendis, aut in Cancellaria sua, hæredum vel successorum suorum, seu alibi retornandis, et absque aliquibus aliis literis suis patentibus, seu warrantis suis, aut hæredum vel successorum suorum, de, in, sive pro præmissis vel aliquo præmissorum, quovismodo impetrandis, habendis seu fiendis. Aliquibus statutis, actubus seu ordinationibus, inde incontrarium habitis, factis, editis, ordinatis seu provisis, in aliquo non obstantibus. Nolentes quod prædicti Principalis, Socii et scholares, vel successores sui, aut aliqua alia persona vel personæ prænominatæ, ratione præmissorum, sive eorum alicujus, per dictam nuper Reginam, hæredes vel successores suos, aut per justitiarios, escaetores, vicecomites, ballivos, aut alios offici-

Digitized by Google

arios seu ministros suos, aut dictorum hæredum vel successorum suorum quoscunque, inde occasionarentur, molestarentur, impeterentur, vexarentur in aliquo seu gravarentur, nec eorum aliquis occasionaretur, molestaretur, vexaretur in aliquo seu gravaretur, prout per easdem literas patentes ultimo mentionatas (inter alia) plenius liquet et apparet. Sciatis quod nos, prædictum pium opus prædictæ sororis nostræ intuitu caritatis aspicientes et affectantes, ac idem prædictum pium opus non solum futuris temporibus firmiter stabilire et continuare, sed augeri et amplificare gratiose volentes, de gratia nostra speciali, ac ex certa scientia et mero motu nostris, prædictum collegium eruditionis scientiarum, philosophiæ, bonarum artium, linguarum cognitionis Hebraicæ, Græcæ et Latinæ, ad finalem sacræ theologiæ professionem, perpetuis futuris temporibus duraturum, in prædicto solo, fundo, situ et præcinctu, dictæ nuper Aulæ vulgariter vocatæ Whitehall, cum pertinentiis, in civitate sive alma academia sive Universitate nostra Oxoniensi, in comitatu nostro Oxoniensi, creatum, erectum, fundatum et stabilitum, per præsentes confirmamus. Et ulterius de uberiori gratia nostra volumus, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, prædictum collegium de uno Principali, octo Sociis et octo scholaribus, quousque Principalis, octo Socii et octo scholares, in hiis præsentibus nominati, seu major pars eorundem, alios octo Socios, et alios octo scholares, in forma hic inferius specificata eligerunt, et sibi ipsis addendos et associandos; et postquam iidem Principalis, octo Socii et octo scholares, in hiis præsentibus nominati, vel major pars eorum, alios octo Socios, et alios octo scholares, sibi ipsis addendos, ut præfertur, eligerunt, tunc de uno Principali, et sexdecim Sociis, et sexdecim scholaribus; tenore præsentium realiter et ad plenum ibidem ordinamus, constituimus, ratificamus et stabilimus, perpetuis futuris temporibus duraturum; et sic stabiliri et imperpetuum inviolabiliter observari volumus et jubemus; dictumque collegium Collegium Jhesu infra Civitatem et Universitatem Oxoniæ ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero *Jhesus Colledge within the Citty and Universitye of Oxforth, of Queene Elizabeths foundacion*, juxta formam, effectum, et secundum veram intentionem prædictarum literarum patentium primo recitatarum, imperpetuum nominari, nuncupari et vocari, volumus et decernimus per præsentes. Et ulterius, ut collegium illud de personis congruis et singulis locis et gradibus suis provideatur, perimpleatur et decoretur, de uberiori gratia nostra speciali, ac ex certa scientia et mero motu nostris, nominavimus, ordinavimus, fecimus et constituimus, et per præsentes nominamus, ordinamus, facimus et constituimus, dilectum et fidelem nostrum Eubulum Thelwall militem, unum Magistrorum Curiæ nostræ Cancellariæ in ordine, modernum Principalem collegii prædicti, pro termino vitæ suæ; necnon in locis prædictorum Thomæ Huyck, Johannis Cot-

Digitized by Google

terell, Johannis Lloyd, Willielmi Awbrey, Roberti Laugher, Thomæ Huit, sex de prædictis octo Sociis in prædictis primis literis patentibus nominatis jam defunctorum, dilectos nobis Theodorum Price sacræ theologiæ Doctorem et Aulæ Cervinæ Oxoniæ Principalem, Willielmum Dolben sacræ theologiæ Doctorem, Mauricium Merricke in artibus Magistrum, Willielmum Prichard in artibus Magistrum. Thomam Prichard in artibus Magistrum, et Robertum Lloyd inceptorem in facultate artium, Socios prædicti collegii; ac etiam in locis prædictorum Gregorii Downhall, Johannis Wilford, Francisci Yeomans, Willielmi Platt, Johannis Osmond, et Willielmi Garthe, sex de prædictis octo scholaribus in prædictis literis patentibus primo mentionatis et jam defunctorum, dilectos nobis Henricum Bould, Hugonem Madryn, Ambrosium Thelwall, Willielmum Thelwall, Willielmum Parry, et Walterum Jones, scholares ejusdem collegii tenore præsentium nominamus, facimus, constituimus et ordinamus. Volentes insuper quod tam prædictus Principalis, et prædicti octo Socii, videlicet prædicti sex Socii in hiis literis patentibus nominati, et prædicti Robertus Johnson et Johannes Higgenson in prædictis primis literis patentibus nominati, et prædicti octo scholares, videlicet prædicti sex scholares similiter in hiis literis patentibus nominati, et prædictus Lancelotus Andrewes modo Episcopus Wintoniensis, et prædictus Thomas Dove modo Episcopus Petriburgensis, scholares in prædictis primis literis patentibus mentionati, quam alii octo Socii et octo scholares imposterum in forma inferius specificata associandi et eligendi sive addendi, juxta ordinationes, regulas et statuta, in hac parte imposterum fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda, in omnibus et per omnia se gerent, exhibebunt, conversabuntur, et eligentur. Volumus etiam, ordinamus, declaramus, et per præsentes statuimus, quod Principalis, octo Socii et octo scholares, quousque alii octo Socii et octo alii scholares imposterum, ut præfertur, eligentur, et prædictis prioribus octo Sociis et scholaribus associentur et addentur, sint et erunt; et postquam prædicti octo alii Socii et octo alii scholares eligentur, et prioribus octo Sociis et octo scholaribus addentur, ut supradictum est, quod extunc Principalis, et sexdecim Socii et sexdecim scholares, sint et erunt de se, et in re et nomine, unum corpus corporatum et politicum, habeantque successionem perpetuam: ipsosque Principalem, Socios et scholares, unum corpus corporatum et politicum, in re et nomine, fecimus, creavimus et stabilivimus, ac eos pro uno corpore facimus, declaramus, ordinamus et acceptamus, acceptarique volumus per præsentes. Et ulterius volumus, et pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus, quod prædicti Principalis, Socii et scholares, eorumque successores, per nomen Principalis, Sociorum et scholarium, Collegii Jhesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ,

Digitized by Google

prosequi, petere, clamare et placitare possint, et implacitari, ac defendere et defendi, ac respondere et responderi, in quibuscunque curiis et lociis legum nostrarum, et alibi ubicunque, coram quibuscunque judicibus, in et super omnibus et singulis causis, actionibus, sectis, demandis, brevibus et querelis, realibus, spiritualibus, ecclesiasticis, personalibus et mixtis, ac in placitis et querelis assisarum novæ disseisinæ, mortis antecessoris, attinctionis, erroris, scire facias, executionis et appellarum quarumcunque, ac in omnibus aliis rebus, causis et materiis quibuscunque, dicto collegio quoquo modo pertinentibus sive spectantibus; et quod per idem nomen maneria, dominia, terras, tenementa, possessiones, hæreditamenta, proficua et emolumenta, tam spiritualia sive ecclesiastica quam temporalia, et alia quæcunque, per nos, hæredes et successores nostros, aut per aliquam aliam personam, vel alias personas quascunque, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, vel aliter, secundum leges nostras, aut hæredum vel successorum nostrorum, danda, conferenda seu concedenda, perpetuis futuris temporibus, capere, recipere, perquirere et appropriare, possint et valeant; necnon eadem dare, alienare et dimittere, quibuscunque personis in lege capacibus possint et valeant; ac generaliter omnia et singula capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac facere et exequi, valeant et possint, prout cætera collegia infra regnum nostrum Angliæ, seu eorum aliquod, capere, recipere, perquirere, dare, alienare et dimittere, ac in aliquibus temporibus retroactis facere consueverunt, aut exequi possint aut possit quovismodo. Et insuper, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, damus et concedimus eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, plenam potestatem et libertatem quod prædicti Principalis et octo Socii in hiis præsentibus nominati, seu major pars eorundem, ad aliquod tempus seu tempora, quandocunque ad utilitatem, commodum seu beneficium, collegii prædicti, eis seu majori parti eorundem melius expedire videbitur, juxta ordinationes, regulas et statuta, in hac parte imposterum fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda, plenam potestatem habeant et habebunt ad eligendos, et sibi ipsis associandos seu addendos, octo alios sive plures Socios, et octo alios sive plures scholares, sibi ipsis addendos et associandos. Volumus etiam pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, et per præsentes declaramus, quod prædicti octo Socii et octo scholares sic de novo eligendi et associandi seu addendi, et eorum quilibet, immediate post electionem eorundem seu eorum alicujus, eidem collegio annectentur et uniantur, et ut membrum prædictii collegii et incorporationis perpetuis futuris temporibus habeantur et reputentur. Et ulterius de uberiori gratia nostra, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, volumus et concedimus eisdem Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti, quod quoties et quando-

Digitized by Google

cunque contigerit aliquem prædictorum octo Sociorum et octo scholarium in hiis præsentibus nominatorum, aut prædictorum aliorum octo Sociorum et scholarium imposterum, ut præfertur, addendorum et associandorum, seu eorum aliquem, obire, recedere, amovere, vel locum suum quocunque alio modo vacare contigerit, tunc electio alterius Socii sive scholaris, ac aliorum Sociorum sive scholarium, loco sive locis Socii sive scholaris, Sociorum sive scholarium, sic vacante, de tempore in tempus fiat, juxta ordinationes, regulas et statuta, in hâc parte imposterum, ut præfertur, fienda, et in scriptis redigenda, specificanda et declaranda: ac quod prædicti ordo, modus et forma, de tempore in tempus, perpetuis futuris temporibus, Principalem, Socios et scholares, ejusdem collegii, qui pro tempore fuerint, tangentes, totaliter referetur ad præfata ordinationes, regulas et statuta, dicti collegii, postmodum, ut præfertur, fienda et declaranda. Et ulterius, de uberiori gratia nostra, summa auctoritate nostra regia qua fungimur, pro nobis hæredibus et successoribus nostris, per præsentes concedimus quod collegium prædictum, ac Principalis, Socii et scholares inde, et successores sui imperpetuum, uniantur, annectentur, consolidentur et incorporentur prædictæ Universitati nostræ Oxoniensi, et ut pars, partes, parcellæ et membra, ejusdem Universitatis capiantur, adjudicentur, et sint; et quod omnibus et singulis privilegiis et libertatibus quibuscunque, dictæ academiæ sive Universitati nostræ Oxoniensi per nos seu progenitores nostros reges Angliæ hactenus concessis, libere et integre gaudeant et fruantur imperpetuum. Et ulterius, de uberiori gratia nostra, et ex certa scientia et mero motu nostris, dedimus et concessimus, et pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, damus, concedimus et confirmamus, præfatis Principali, Sociis et scholaribus collegii prædicti, et successoribus suis imperpetuum, totum illud domum, situm, septum, ambitum, circuitum et præcinctum, dictæ nuper Aulæ vulgariter vocatæ Whitehall, in dicta civitate sive Universitate nostra Oxoniensi, cum omnibus suis juribus, membris et pertinentiis universis, ac cum omnibus antiquis privilegiis, libertatibus et liberis consuetudinibus ejusdem Aulæ; ac omnia et singula prædicta messuagia, domos, ædificia, structuras, capellas, tenementa, curtilagia, atria, hortos, pomaria, gardina, stagna, vivaria, aquas, piscarias, piscationes, canales aquarum, aquæ ductus, terram, fundum et solum, cum pertinentiis, infra eundem situm, septum, et circuitum et præcinctum, ejusdem nuper Aulæ, quæ ut partes sive parcellæ seu membra præmissorum fuerunt usitata, reputata, sive æstimata; ac etiam totum vitrum, plumbum, ac omnes campanas, vasa, jocalia, ornamenta, utensilia, bona, catalla, res et implementa quæcunque, prædictæ nuper Aulæ vocatæ Whitehall, seu eidem nuper Aulæ nunc vel nuper aliquo modo spectantia sive pertinentia. Habendum et tenendum prædicta domum, situm, septum, ambitum et præcinctum, ac cætera

Digitized by Google

omnia et singula præmissa præconcessa, cum pertinentiis, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis imperpetuum; tenenda de nobis, hæredibus et successoribus nostris, in liberam, puram et perpetuam eleemosinam. Et ulterius, de uberiori gratia nostra, ex certa scientia et mero motu nostris, volumus, et pro nobis hæredibus et successoribus nostris concedimus præfatis Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti et successoribus suis, quod ipsi præfati Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti, et eorum successores, habeant, teneant et gaudeant, et habere, tenere et gaudere, valeant et possint, omnia et singula maneria, terras, tenementa, redditus et hæreditamenta, et alias res quascunque, per nos vel aliquos prædecessores nostros, vel per aliquam aliam sive aliquas alias personas, Principali, Sociis et scholaribus, ejusdem collegii, per aliquas literas patentes sive chartas, sive eorum aliquas, data et concessa, seu mentionata fore data et concessa, in tam amplis modo et forma prout per aliquas tales literas patentes et chartas, seu earum aliquas vel aliquam, conceduntur, seu mentionantur fore data sive concessa. Et ulterius, de uberiori gratia nostra, volumus, ac, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, per præsentes concedimus præfatis Principali, Sociis et scholaribus. collegii prædicti, et successoribus suis, quod Cancellarius Universitatis nostræ Oxoniensis, seu Vicecancellarius ejusdem pro tempore existens, Johannes Bennet miles, Willielmus Bird miles, legum Doctor, præfatus Eubulus Thelwall miles, et Theodorus Price sacræ theologiæ professor, aut aliqui tres seu plures eorum, habeant et habebunt plenam potestatem, auctoritatem et facultatem, condendi, constituendi, ordinandi, sanciendi et stabiliendi, de tempore in tempus, hujusmodi leges, jura, jurisdictiones et constitutiones, quæ eis, aut aliquibus tribus, vel pluribus eorum, ut præfertur, bona, salubria, utilia, honesta et necessaria, juxta sanas eorum, sive aliquorum trium vel plurium eorum, discretiones, videbuntur, pro electione, bonis regimine et gubernatione, Principalis, Sociorum et scholarium prædictorum, et omnium et singulorum officiariorum ministrorum collegii prædicti pro tempore existentium, ac pro declaratione quo modo et ordine prædicti Principalis, Socii et scholares, officiarii et ministri collegii illius, in functionibus, ministeriis et negotiis suis, infra collegium prædictum ac libertatem ejusdem, pro tempore existentes, sese habebunt, gerent ac utentur, ac pro bono publico, communi utilitate, et meliori præservatione, gubernatione, dispositione, locatione, dimissione terrarum, tenementorum, possessionum, reventionum et hæreditamentorum, eisdem Principali, Sociis et scholaribus et successoribus suis, datorum, concessorum sive assignatorum, sive imposterum dandorum, concedendorum vel assignandorum, et aliarum rerum et causarum quarumcunque collegium prædictum tangentium in aliquo sive concernentium. Et ulterius, de gratia nostra speciali,

Digitized by Google

ex certa scientia et mero motu nostris, dedimus et concessimus, et, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, quantum in nobis est, per præsentes concedimus, et licentiam damus specialem, cuicunque personæ sive quibuscunque personis, quod ipsi, hæredes, executores et assignati sui, dominia, maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates, et omnimoda alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, tam spiritualia quam temporalia, non excedentia in toto annualem valorem sexcentarum librarum per annum, ultra omnia onera et reprisas, tam de feodo suo proprio quam alieno, dummodo non teneantur de nobis, hæredibus et successoribus nostris, immediate in capite vel per servitium militare, aut de aliquo alio sive aliquibus aliis per servitium militare, præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, dare, concedere seu legare, possint aut valeant, vel eorum aliquis possit seu valeat: habenda, tenenda et gaudenda, eisdem Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, imperpetuum. Et eisdem Principali, Sociis et scholaribus, quod ipsi maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, rectorias, pensiones, portiones, annuitates et omnia alia hæreditamenta et possessiones quæcunque, quæ non tenentur de nobis, hæredibus et successoribus nostris, immediate in capite, vel per servitium militare, aut de aliquo alio sive aliquibus aliis per servitium militare, non excedentia prædictum valorem sexcentarum librarum per annum ultra omnia onera et reprisas, a quacunque et quibuscunque personis, ea eis dare vel concedere volenti aut volentibus, accipere possint et tenere sibi et successoribus suis, tenore præsentium similiter licentiam dedimus, ac per præsentes damus et concedimus; statuto de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio statuto, actu, ordinatione, provisione sive restrictione, in contrarium facto, edito seu proviso, aut aliqua alia re, causa vel materia quacunque, in aliquo non obstante. Et hoc absque aliqua inquisitione sive aliquibus inquisitionibus inde prætextu alicujus brevis sive mandati nostri, aut aliquorum brevium seu mandatorum nostrorum, aut hæredum vel successorum nostrorum, de "Ad quod dampnum," seu alicujus alterius brevis, mandati seu præcepti nostri, aut hæredum vel successorum nostrorum, in ea parte fiendi, prosequendi seu habendi, aut in Cancellariam nostram, hæredum vel successorum nostrorum, seu alibi retornandi; et absque aliquibus aliis literis nostris patentibus seu warrantis nostris, aut hæredum vel successorum nostrorum, de, in sive pro, præmissis vel aliquo præmissorum, quovismodo impetrandis, habendis seu fiendis. Aliquibus statutis, actibus seu ordinationibus, inde incontrarium antehac habitis, factis, editis, ordinatis seu provisis, in aliquo non obstantibus. Nolentes quod prædicti Principalis, Socii et scholares, vel successores sui, aut aliqua alia persona vel personæ prænominatæ, ratione præmis-

Digitized by Google

sorum sive eorum alicujus, per nos, hæredes vel successores nostros, aut per justitiarios, escaetores, vicecomites, ballivos, aut alios officiarios seu ministros nostros, aut hæredum vel successorum nostrorum, quoscunque, inde occasionentur, molestentur, impetantur, vexentur in aliquo seu graventur, nec eorum aliquis occasionetur, molestetur, vexetur in aliquo seu gravetur. Et ulterius, de ampliori gratia nostra speciali, et ex certa scientia et mero motu nostris, pro considerationibus prædictis, volumus, ac per præsentes pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus præfatis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, quod hæ literæ nostræ patentes, vel irrotulamentum earundem, erunt in omnibus et per omnia firmæ, validæ, bonæ, sufficientes et effectuales in lege, erga et contra nos, hæredes et successores nostros, tam in omnibus curiis nostris, quam alibi infra regnum nostrum Angliæ, absque aliquibus confirmationibus, licentiis vel tolerationibus, de nobis, hæredibus et successoribus nostris, imposterum per prædictos Principalem, Socios et scholares, et successores suos, procurandis aut obtinendis. Non obstantibus male nominando, vel male recitando aut non recitando, prædicta situs, domos, et cætera præmissa superius per præsentes præconcessa, aut mentionata fore concessa, aut aliquam inde partem sive parcellam. Et non obstantibus male recitando, male nominando aut non recitando, aliquod donum, dimissionem sive concessionem, de præmissis, vel de aliqua inde parte sive parcella, de recordo vel non de recordo, aut aliter qualitercunque antehac factum existens. Et non obstante male nominando aut non nominando aliquam villam, hamlettam, parochiam, locum vel comitatum, in quibus præmissa, aut aliqua inde parcella, existunt vel existit. Et non obstante quod de nominibus tenentium, firmariorum sive occupatorum, terrarum, tenementorum et hæreditamentorum prædictorum, seu aliquorum præmissorum, vel alicujus inde parcellæ, vera, plena et certa, non fit mentio. Et non obstantibus aliquibus defectibus de certitudine, vel computatione aut declaratione, veri annualis valoris præmissorum, aut alicujus inde partis vel parcellæ, aut annualium reddituum reservatorum de, in et super, præmissa, vel de, in et super, aliquam inde parcellam, in hiis literis nostris patentibus expressa et contenta. Et non obstantibus statutis in Parliamento domini Henrici nuper Regis Angliæ sexti, antecessoris nostri, anno regni sui decimo octavo factis et editis. Et non obstantibus aliquibus aliis defectibus in hiis literis nostris patentibus contentis quibuscunque. Eo quod expressa mentio, &c. Teste Rege, apud Westmonasterium, primo die Junii.

Per breve de privato sigillo, &c.

Digitized by Google

PRIMA PARS PATENTIUM de anno regni Regis Georgii Secundi tertio.

De concessione Jesus College in Oxonia. Rex omnibus ad quos, etc., salutem. Cum Regalis prædecessor noster Elizabetha, nuper Regina Angliæ, etc., per literas suas patentes, Magno Sigillo Angliæ sigillatas, gerentes datam apud Westmonasterium, vicesimo septimo die Junii, anno regni sui tertio decimo, pro consideratione in eisdem literis patentibus expressa et contenta, de gratia sua speciali, ac ex certa scientia et mero motu, quoddam collegium eruditionis scientiarum, philosophiæ, bonarum artium, linguarum cognitionis Hebraicæ, Græcæ et Latinæ, ad finalem sacræ theologiæ professionem, perpetuis futuris temporibus duraturum, in solo, fundo, situ et præcinctu, nuper aulæ suæ, vulgariter nuncupatæ Whitehall, cum pertinentiis, in civitate sive alma Academia sive Universitate Oxoniæ, in comitatu Oxoniæ, situatæ et existentis; videlicet de Principali, octo Sociis et octo scholaribus, creari, erigi, fundari, stabiliri decreverit; et idem collegium de uno principali, et octo Sociis, et octo scholaribus, tenore prædictarum literarum patentium, realiter et ad plenum ibidem creaverit, erexerit, fundaverit, ordinaverit, fecerit, constituerit et stabiliverit, perpetuis futuris temporibus duraturum, et sic stabiliri et imperpetuum inviolabiliter observari voluerit et jusserit; ipsumque Collegium Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero *Jesus Colledge within the city and University of Oxford, of Queen Elizabeth's foundation*, imperpetuum nominari, nuncupari et vocari, voluerit et decreverit, per easdem literas patentes; voluerit etiam, ordinaverit et declaraverit, eadem nuper Regina Elizabetha, per dictas literas suas patentes, quod prædicti Principalis, Socii et scholares, extunc de cætero essent et forent, de se et in re et nomine, unum corpus corporatum et politicum, haberentque successionem perpetuam, per nomen Principalis, Sociorum et scholarium, Collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ. Cumque etiam Regalis prædecessor noster Jacobus, nuper Rex Angliæ, etc., per literas suas patentes, sub Magno Sigillo suo Angliæ confectas, gerentes datam apud Westmonasterium, primo die Junii, anno regni sui Angliæ, Franciæ et Hiberniæ, decimo nono, et Scotiæ quinquagesimo quarto, de gratia sua speciali, ac ex certa scientia et mero motu suis, prædictum collegium, sic creatum, erectum, fundatum et stabilitum, confirmaverit; et ulterius prædictus nuper Rex Jacobus, de uberiori gratia sua, voluerit, pro se, hæredibus et successoribus, prædictum collegium de uno Principali, octo Sociis et octo scholaribus, quousque Principalis, octo Socii et octo

Digitized by Google

scholares, in dictis literis suis patentibus nominati, seu major pars eorundem, alios octo Socios et alios octo scholares, in forma ibidem inferius specificata, elegissent, sibi ipsis addendos et associandos; et postquam iidem Principalis, octo Socii et octo scholares, in dictis literis patentibus nominati, vel major pars eorum, alios octo Socios et alios octo scholares sibi ipsis addendos, ut præfertur, elegissent, tunc de uno Principali, et sexdecim Sociis et sexdecim scholaribus; tenore dictarum literarum patentium, realiter ad plenum ibidem ordinaverit, constituerit, ratificaverit et stabiliverit, perpetuis futuris temporibus duraturum, et sic stabiliri et imperpetuum inviolabiliter observari voluerit et jusserit; dictumque collegium Collegium Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero, *Jesus Colledge within the city and University of Oxford, of Queen Elizabeth's foundation,* juxta formam et effectum, et secundum veram intentionem, dictarum literarum patentium primo recitatarum, imperpetuum nominari, nuncupari et vocari, voluerit et decreverit per easdem literas patentes. Voluerit etiam ordinaverit, declaraverit et statuerit, idem nuper Rex Jacobus, per dictas literas suas patentes, quod postquam prædicti octo alii Socii et octo alii scholares eligerentur, et prioribus octo Sociis et octo scholaribus adderentur, ut supradictum est, extunc Principalis, et sexdecim Socii et sexdecim scholares, essent et forent, de se et in re et nomine, unum corpus corporatum et politicum, haberentque successionem perpetuam per nomen Principalis, Sociorum et scholarium Collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ; prout per dictas separales recitatas literas patentes (inter alia in eisdem contenta, relatione inde habita) plenius liquet et apparet. Cumque prædicti Principalis, Socii et scholares, Collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, per petitionem suam, nobis humiliter representaverint quod Leolinus Jenkins, miles, unus Secretariorum Primariorum nuper Regis Caroli Secundi, per testamentum et voluntatem suam, gerentem [datam] duodecimo die Junii, anno Domini millesimo sexcentesimo et octogesimo quinto, devisaverit Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti, et successoribus suis, diversas terras et tenementa ad pios usus, infra collegium et alibi; et prædictus Leolinus Jenkins, volens (inter alia) addere numero Sociorum et scholarium infra collegium illum, direxerit executores suos per petitionem domino Regi supplicare, quod gratiose concedere et authorizare voluerit quod duo novi additionales loci Sociorum, Anglice *Fellowships,* fundati et dotati essent expensis suis in dicto collegio; et, cum prædicti duo loci Sociorum, Anglice *Fellowships,* forent actualiter fundati, quod tunc duo de tribus exhibitionariis a schola Cowbrigiensi (quæ per ultimam voluntatem suam prædictam prius fundari direxisset) reputarentur duo novi additionales scholares dicti col-

Digitized by Google

legii; quodque residuum status sui devisaverit pro augendo vel ampliando exhibitionem, allocationem et dotationem, per ipsum ante tunc factam, vel pro fundando plures additionales locos Sociorum et scholarium, Anglice *Fellowships and scholarships*, vel aliis publicis et piis usibus, infra prædictum collegium; quodque, anno Domini millesimo sexcentesimo et octogesimo sexto, quædam licentia obtenta fuerit sub Magno Sigillo Angliæ, per quam plenæ potestates et auctoritates concessæ fuerunt prædictis Principali, Sociis et scholaribus, et successoribus suis, pro tempore existentibus, capere et accipere prædictam donationem prædicti Leolini Jenkins, super conditiones et statuta appunctuata in voluntate sua prædicta, una cum plena potestate et auctoritate erigere et stabilire prædictos duos locos Sociorum, Anglice *Fellowships*, secundum tenorem et directionem voluntatis suæ; quodque residuum status Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti, per prædictum Leolinum Jenkins legatum (temporariis oneribus superinde determinatis existentibus) ad præsens sufficiens sit ad manutenendum unum alium additionalem Socium, et duos novos locos scholarium, Anglice *scholarships*, secundum intentionem testatoris prædicti; sed nulla expressa mentione facta ultra additionalem locum Socii, Anglice *Fellowship*, nec dictorum duorum locorum scholarium, Anglice *scholarships*, in prædicta priori licentia, Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti abstinuissent ab eligendo seu admittendo tales novos additionales Socios vel scholares, absque expressa licentia et auctoritate per nos concedenda. Cumque Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti, per petitionem suam prædictam ulterius nobis ostenderint quod Edmundus Meyrick, clericus, nuper thesaurarius ecclesiæ cathedralis Menevensis, per testamentum et ultimam voluntatem suam, gerentem datam vicesimo quinto die Martii, anno Domini millesimo septingentesimo et duodecimo, devisaverit quasdam alias terras et tenementa, pro exhibitionibus, et pro augmentando sex locos scholarium, Anglice *scholarships*, et pro aliis pietatis et caritatis usibus; et superinde humillime supplicaverint quod nos eis concedere vellemus gratiosissimas literas nostras patentes, ac in eisdem concedere et autorizare quod Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti eligerent et admitterent unum novum additionalem Socium, intitulandum fore ad omnia allocationes, proficua et privilegia, et fore subjectum eisdem regulationibus cum cæteris Sociis ejusdem collegii; quodque, ad præservandam æqualiatem illam inter aliqua nostra dominia Walliæ Borealis et Walliæ Australis, secundum intentionem testatoris ultime mentionati, ulterius humiliter supplicatum fuit quod nos declarare et dirigere vellemus quod prædictus Socius, ultime mentionatus, electus foret ex uno quodam comitatuum Walliæ Borealis vel Walliæ Australis (comitatu Monmouth in Wallia Australi includendo), et quod idem locus Socii, Anglice *Fellowship*, suppletus foret alternatim

Digitized by Google

vel qualibet altera vice ex comitatibus Walliæ Borealis, et qualibet altera vice ex comitatibus Walliæ Australis; quodque nos ulterius vellemus concedere, declarare et autorizare, quod duo ex prædictis tribus exhibitionariis, scholæ Cowbrigiensi spectantibus, cooptati forent scholares collegii prædicti, quodque ab inde intitulati forent omnibus advantagiis, proficuis et privilegiis, et subjecti eisdem regulis et statutis, æqualiter et communiter cum aliis scholaribus collegii prædicti; excepto quod prædicti duo scholares, ultime mentionati, venirent a schola Cowbrigiensi, ut præfertur, et nominati forent per Principalem collegii prædicti, pro tempore existentem, super quamlibet vacationem, prout prædicti exhibitionarii modo per voluntatem prædicti Leolini Jenkins nominandi sunt, sed eligendi et approbandi per Socios, ut usitatum fuisset in consimilibus casibus; quodque nos gratiose concedere et autorizare vellemus quod Principalis, Socii et scholares, collegii prædicti, et successores sui, recipere, capere et gaudere, possent ultime mentionatam benefactionem Edmundi Meyrick, pro augmentando et ampliando quosdam prædictorum locorum scholarium, Anglice *scholarships*, et pro aliis caritatis usibus per prædictum Edmundum Meyrick directis et intensis; et concedere eisdem Principali, Sociis et scholaribus, collegii prædicti, et successoribus suis, plenam licentiam, potestatem et auctoritatem, ad aliquod vel aliqua tempus vel tempora imposterum, perquirere, capere et gaudere, aliquas alias terras, tenementa, redditus vel alia hæreditamenta, annualis valoris quingentarum librarum, ultra omnia onera, solutiones et reprisas, de eisdem exeuntia, sub tali restrictione et cum talibus ulterioribus potestatibus, clausulis et provisionibus, qualiter nobis in Regali sapientia nostra expedienda viderentur: Nos, præmissa prædicta considerantes, prædictæ petitioni Principalis, Sociorum et scholarium, collegii prædicti, in tali modo et forma qualiter inferius in his literis nostris patentibus plenius expressum est, annuere et condescendere gratiose dignati sumus (excepto quoad potestatem eligendi primum novum Socium et duos primos novos scholares, post confectionem harum literarum nostrarum patentium, quos inferius in his præsentibus nominatim constituimus). Sciatis, igitur, quod nos, de gratia nostra speciali, ac ex certa scientia et mero motu nostris, ereximus, fundavimus, fecimus, creavimus et stabilivimus, ac per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, erigimus, fundamus, facimus, creamus et stabilimus, unum novum locum Socii, Anglice *Fellowship*, et duos novos locos scholarium, Anglice *scholarships*, in dicto collegio, cognito et vocato per nomen Collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ; quodque de cætero sint et erunt infra collegium prædictum novemdecim Socii et octodecim scholares collegii illius, perpetuis futuris temporibus continuandi; quodque Principalis, pro tempore existens, et prædicti novemdecim Socii et prædicti

Digitized by Google

octodecim scholares, collegii illius, perpetuis futuris temporibus continuandi, sint et erunt, de se, et in re, facto et nomine, unum corpus corporatum et politicum, habeantque successionem perpetuam; eosdemque Principalem, Socios et scholares, unum corpus corporatum et politicum, in re, facto et nomine, fecimus, creavimus et stabilivimus, ac eos pro uno corpore facimus, declaramus, ordinamus et acceptamus, acceptarique volumus, per præsentes. Et, ulterius, volumus, et pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus, quod iidem Principalis, novemdecim Socii et octodecim scholares, collegii illius, et successores sui, per nomen Principalis, Sociorum et scholarium, Collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, de cætero imperpetuum habeant, gaudeant et utantur, omnibus capacitatibus, potestatibus, auctoritatibus, franchesiis et privilegiis, qualiter Principalis, Socii et scholares, collegii illius modo legitime habent, gaudent et utuntur. Et, ulterius, nominavimus, ordinavimus, constituimus et appunctuavimus, et per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, nominamus, ordinamus, constituimus et appunctuamus, Willelmum Bradshaw fore primum et modernum Socium, in dicto loco Socii, Anglice *Fellowship*, de novo fundati, et Johannem Nicholls et Johannem Pettingall, artium baccalaureos, fore duos primos scholares in dictis duobus locis scholarium, Anglice *scholarships*, de novo fundatis. Volumus, etiam, et per præsentes ordinamus et mandamus, quod prædictus Willelmus Bradshaw (sacramentis, per leges hujus regni nostri Magnæ Britanniæ et per statuta collegii prædicti respective præscriptis, per ipsum præstitis) a data harum nostrarum literarum patentium, sit et erit ad omnia intentiones et proposita verus [et] perpetuus [et] actualis Socius collegii illius; quodque prædicti Johannes Nicholls et Johannes Pettingall, a data harum literarum nostrarum patentium, sint et erunt, ad omnia intentiones et proposita, veri, et perpetui, et actuales, scholares collegii illius. Volumus, ulterius, ac per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus, quod dicti Willelmus Bradshaw, Johannes Nicholls et Johannes Pettingall, ac omnes et quælibet persona et personæ quæ imposterum ad eosdem locos unius Socii et duorum scholarium collegii prædicti, sic, ut præfertur, de novo fundatos, respective, debite appunctuatæ sive electæ fuerint, numero Sociorum et scholarium collegii prædicti respective addentur et unientur, addetur et unietur, et ut membrum seu membra prædicti collegii et incorporationis perpetuis futuris temporibus habeantur et reputentur, habeatur et reputetur; quodque respective intitulati sint et fuerint, sit et fuerit, ad omnia eadem et hujusmodi allocationes, proficua et privilegia, et subjecti omnibus eisdem et hujusmodi regulis et regulationibus, cum Sociis et scholaribus collegii prædicti ante confectionem harum literarum nostrarum patentium existentium; ac quod prædictus Willelmus

Digitized by Google

Bradshaw, et quælibet alia persona imposterum ad eundem locum unius Socii sic, ut præfertur, de novo fundati eligenda et appunctuanda, erit sub eadem obligatione sacros ordines super se suscipiendi cum cæteris Sociis collegii prædicti; quoniam id nobis visum est maxime consentaneum voluntati et intentioni prædicti Leolini Jenkins. Et, ulterius, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, per præsentes, volumus, declaramus et concedimus, quod, quandocunque prædictus locus Socii, Anglice *Fellowship*, collegii prædicti, per has literas nostras patentes, ut præfertur, de novo fundatus, vacare contigerit, tunc et toties bene licebit prædictis Principali, Sociis et scholaribus, collegii illius, et successoribus suis, de tempore in tempus, eligere et admittere unam aliam personam ad et in prædictum locum Socii, sic, ut præfertur, de novo fundatum, juxta ordinationes, regulas et statuta, collegii prædicti, in ea parte debite sancita. Proviso semper, et per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, ulterius volumus et ordinamus, quod personæ ad prædictum locum Socii, sic, ut præfertur, de novo fundatum, imposterum eligendæ, sint et erunt alternatim ex uno comitatuum Walliæ Borealis et Walliæ Australis (comitatu Monmouth in Wallia Australi inclusive existente), scilicet una vice ex uno comitatuum Walliæ Borealis, et altera vice ex uno comitatuum Walliæ Australis, et sic alternis vicibus perpetuis futuris temporibus eligendæ. Et, ulterius, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, volumus, concedimus et ordinamus, quod, quandocunque aliquis locorum scholarium, Anglice *scholarships*, sic, ut præfertur, de novo fundatorum, vacare contigerit, tunc et toties una altera persona de tempore in tempus nominata fuerit per Principalem collegii prædicti, pro tempore existentem, prout exhibitionarius scholæ Cowbrigiensi spectans; modo nominata sit secundum veram intentionem prædictæ voluntatis dicti Leolini Jenkins, et electa et approbata fuerit per Socios collegii illius, prout in consimilibus casibus usitatum fuerit. Proviso semper, quod quælibet persona, sic ut ultimo præfertur, nominanda, eligenda et approbanda, in schola Cowbrigiensi educata fuerit. Et, ulterius, de uberiori gratia nostra, ac ex certa scientia et mero motu nostris, dedimus et concessimus, ac, per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, damus et concedimus, prædictis Principali, Sociis et scholaribus, collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, et successoribus suis, licentiam nostram specialem ac plenam, liberam et licitam facultatem, potestatem et auctoritatem, perquirendi, habendi, capiendi et possidendi, eis et successoribus suis, omnia et singula terras, tenementa et hæreditamenta, cum pertinentiis, per prædictum testamentum et ultimam voluntatem prædicti Edmundi Meyrick sic, ut præfertur, devisata, seu mentionata esse devisata, in fiducia pro collegio prædicto, seu aliqualiter pro beneficio ejusdem; ac etiam per-

Digitized by Google

quirendi, acquirendi, habendi, capiendi et gaudendi prædictis Principali, Sociis et scholaribus, collegii Jesu prædicti, et successoribus suis pro tempore existentibus, in nomine suo proprio, vel in nomine sive nominibus alicujus sive aliquarum, alius sive aliarum, personæ sive personarum, et ejus vel eorum hæredum, in fiducia, ad solum et proprium opus et usum prædictorum Principalis, Sociorum et scholarium, collegii Jesu prædicti, pro tempore existentium, aliqua alia maneria, terras, tenementa, redditus, reventiones, advocationes, jus patronatus et præsentationum, sive alia hæreditamenta quæcunque, infra illam partem regni nostri Magnæ Britanniæ vocatam Angliam, sive dominium nostrum Walliæ, de nobis, hæredibus et successoribus nostris, tenta, necnon tenta de quacunque alia persona vel quibuscunque aliis personis, sive sint incorporati vel non incorporati, hæredibus vel successoribus suis, non excedentia in toto clarum annualem valorem quingentarum librarum legalis monetæ Magnæ Britanniæ, ultra omnia onera et reprisas. Damus, etiam, ac per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus cuicunque subdito nostro, sive quibuscunque subditis nostris, hæredum et successorum nostrorum, sive sint incorporati vel non incorporati, licentiam nostram specialem, ac liberam et licitam potestatem et auctoritatem, dandi, concedendi, legandi vel alienandi, aliqua maneria, terras, tenementa, redditus, reventiones, advocationes, jus patronatus et præsentationum, sive alia hæreditamenta quæcunque, prædictis Principali, Sociis et scholaribus, Collegii Jesu prædicti, et successoribus suis; dummodo eadem non excedunt in toto clarum annualem valorem quingentarum librarum legalis monetæ Magnæ Britanniæ, ultra omnia onera et reprisas. Denique, volumus, ac, per præsentes, pro nobis, hæredibus et successoribus nostris, concedimus prædictis Principali, Sociis et scholaribus, collegii Jesu prædicti, et successoribus suis, quod hæ literæ patentes, vel irrotulamenta sive exemplificatio earundem, sint et erunt in omnibus et per omnia bonæ, firmæ, validæ, sufficientes et effectuales in lege, secundum veram intentionem earundem: non obstante non recte vel plene recitando dictas separales chartas sive literas patentes, vel data earundem sive earum alicujus; aut aliqua alia omissione, imperfectione, defectu, re, causa vel materia quacunque, in contrarium inde in aliquo, non obstante. In cujus rei, &c. Teste Rege, apud Westmonasterium, vicesimo octavo die Januarii.

Per breve de privato sigillo.

Digitized by Google

STATUTES OF JESUS COLLEGE, OXFORD.

TABLE OF CHAPTERS.

No.		Page
1	De Principali, Sociis et scholaribus, collegii, et eorum numero	35
2	De electione Principalis	35
3	Juramentum Principalis	38
4	De potestate Principalis, et ejus officio	40
5	De electione Sociorum et scholarium	41
6	Juramentum Sociorum	43
7	De salariis Principalis, Sociorum et scholarium	45
8	De Viceprincipalis electione et officio	46
9	In quibus Socii, scholares et cæteri, debeant obedire Principali et Viceprincipali	48
10	De bursario	49
11	De officio et qualitate censoris philosophiæ et prælectoris dialecticæ	50
12	De officiis divinis per Socios et non Socios celebrandis; et de orationibus dicendis	53
13	De Scripturæ portione tempore prandii legenda; et mora in aula non facienda, et silentio debito servando	57
14	De admissione scholarium, qui non reputantur esse de collegio, et vulgo Communarii appellantur et Battellarii	58
15	De disputationibus et aliis exercitiis domesticis	58
16	De catechismo	61
17	De vestibus et indumentis	62
18	De Senescallo communi aulæ	62
19	De augmentatione fundorum ac redditnum, et de beneficentia piorum quorumcunque, redditus annuos sive fundos donare volentium, acceptanda et celebranda	63
20	De possessionibus non alienandis, et de beneficiis, maneriis et tenementis, ad firmam dimittendis	65
21	De sigillo collegii communi	66
22	De tempore assumendi gradus	66
23	De tempore suscipiendi sacros ordines	68
24	De absentia Principalis et Sociorum	68
25	De pace inter Socios et non Socios observanda	69
26	De armis non portandis, et de impedimentis studii removendis	70
27	De concordia Sociorum et non Sociorum in electionibus officiariorum Universitatis	71
28	De portis et ostiis claudendis	71
29	De Principalis, si opus fuerit, amotione	72
30	De Sociis promotis, et causis recedendi a collegio	73
31	De numero Sociorum, si necesse fuerit, diminuendo	75
32	De servientibus collegii	75
33	De extraneis non introducendis	76
34	De explanatione dubiorum quorundam in statutis præcedentibus	77
35	De statutorum lectione	78

Digitized by Google

Digitized by Google

STATUTA COLLEGII JESU INFRA UNIVERSITATEM OXONIÆ,

EX FUNDATIONE REGINÆ ELIZABETHÆ; CONDITA ET SANCITA PER REGIÆ MAJESTATIS COMMISSARIOS, IN HAC PARTE DEPUTATOS, QUORUM NOMINA IN FINE ADJICIUNTUR ET SUBSCRIBUNTUR.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, nos Regiæ Majestatis commissarii, quorum nomina subscribuntur, ad condenda et sancienda statuta collegii Jesu Oxoniæ deputati, procedimus in hunc modum:

1.—*De Principali, Sociis et scholaribus, Collegii; et eorum numero.*

Imprimis statuimus, ordinamus et volumus, ut collegium hoc Collegium Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, Anglice vero *Jesus College within the citie and University of Oxford, of Queen Elizabeth's foundation*, nuncupatum, et in honorem servatoris et mediatoris nostri Jesu Christi, unici Filii Dei, fundatum, consistat in et de numero unius Principalis, sexdecim Sociorum, et sexdecim scholarium; qui omnes philosophiæ et theologiæ studio, juxta ordinationes horum statutorum, incumbere tenentur; et de tempore in tempus, secundum mentem et formam eorundem, ubi locus aliquis vacare contigerit, summa cum circumspectione et cura eligentur. Nihilominus, si qui in futurum viri præstantes aut fœminæ, spiritu piæ devotionis ducti, communas aut salaria eorundem augere, aut aliud quodcunque beneficium in collegium, Socios vel scholares ejusdem, conferre voluerint, dummodo redditibus aut bonis ad hoc sufficientibus prædictum collegium dotaverint, eis omnibus facultatem concedimus sic faciendi specialem, totumque illud quod ab hujusmodi omnibus in prædictos usus conferetur, cum gratiarum actione acceptamus, et sub iis conditionibus a Principali et Sociis acceptari volumus, quas in statuto de augmentatione fundorum ac reddituum assignabimus seu præscribemus.

Number of Fellows and scholars.

Power to accept augmentations of endowments.

2.—*De electione Principalis.*

Quoniam eum, qui cæteris præesse voluerit, omnimodo, præsertim morum integritate et gubernandi peritia, præstare oportet; idcirco statuimus, ordinamus et volumus, ut nullus eligatur Principalis dicti collegii, nisi qui sit vir bonæ conversationis et honestæ, scientia et bonis moribus approbatus, et

Qualifications for the Principal.

Digitized by Google

spiritualibus et temporalibus discretus, providus et circumspectus, Doctor aut baccalaureus in theologia. Doctor aut baccalaureus in jure civili, vel saltem Magister in artibus, qui trigesimum annum ætatis compleverit, cœlebs et non conjugatus. Cujus quidem electionem, perpetuis futuris temporibus, fieri volumus sub hac forma: videlicet, quod, infra duos dies naturales postquam hujusmodi officium, per mortem, cessionem, amotionem, liberam resignationem, aut quemcunque alium modum, vacare contigerit, et hoc cognitum fuerit, omnes Socii dicti collegii in Universitate præsentes, per Socium seniorem præsentem præmoniti, simul convenient in capella dicti collegii, de die electionis futuri Principalis tractaturi, hora per dictum seniorem assignata. Quem quidem electionis diem, ex consensu majoris partis eorundem præfinitum, dictus senior Socius, per literas citatorias et monitorias in ostio capellæ dicti collegii figendas, tam præsentibus quam absentibus intimet et denuntiet. Proviso tamen, quod, priusquam ad futuri Principalis electionem ulterius procedatur, Socii absentes per duodecim dies naturales dictam præmonitionem immediate sequentes exspectentur: quibus duodecim diebus exactis, in crastino ante meridiem, hora per Socium seniorem præsentem limitata, conveniant in capella dicti collegii omnes Socii tum in Universitate præsentes. Exposita vero per Socium seniorem [præsentem] causa conventionis prædictæ, scilicet pro electione futuri Principalis, celebratis divinis precibus per eundem Socium seniorem vel alium per ipsum assignatum, statim legatur hoc præsens statutum, plane et perfecte, per Socium seniorem præsentem, vel alium per ipsum assignatum, in audientia prædictorum Sociorum: et ibidem postea immediate ad electionem futuri Principalis (exspectatorum, ut præmittitur, absentia non obstante) in forma subscripta procedatur. Imprimis, jurabunt omnes et singuli Socii prædicti, quod, postpositis omnimodis amore, favore, odio, timore, invidia, partialitate, affectione consanguinitatis, affinitatis, necnon acceptione personarum et patriæ, et quacunque occasione precis vel pretii, cum omni celeritate qua poterunt, eligent unum de Sociis dicti collegii, vel de illis qui aliquando fuerunt Socii et ex causis honestis recesserunt, si qui tales idonei reperiri poterint, juxta conditiones superius expositas, (hos enim aliis, cæteris paribus præferri volumus, alioquin quemvis alium in Universitate Oxoniæ vel Cantabrigiæ educatum, quem eligentes, ex eorum conscientiis, credunt, secundum qualitates in præsenti statuto expressas, esse aptiorem et magis idoneum ad officium Principalis gerendum, quoad bonum et salubre regimen et diligentem curam ipsius collegii, et quoad personarum, statutorum, ac bonorum, terrarum, possessionum ac reddituum, spiritualium et temporalium, et jurium eorundem, conservationem, plus posse proficere et velle omnino persuasum habent. Jurabunt, insuper, Socius senior [præsens] cum proximo sibi

Manner of election of Principal.

Appointment of day of election.

Waiting for absent Fellows.

Reading of statute.

Oath of impartiality.

Persons eligible.

Digitized by Google

seniore, quos scrutatores in ista electione volumus esse, quod vota singulorum eligentium in ipsa electione diligenter et fideliter examinabunt. Coram quibus scrutatoribus videntibus et auscultantibus cæteri eligentes, ut præmittitur, examinati, vota sua secrete, simpliciter et sigillatim, emittere et ea manibus propriis in scripta redigere teneantur: ad quod etiam dictos scrutatores, per duos seniores post eos proximos, modo quo præfertur peragendum, jurejurando arctari volumus. In quo quidem scrutinio, inter dictos scrutatores communicato et fideliter examinato, si contingat unam personam vota omnium eligentium vel majoris partis eorundem habere, pro electo habeatur; et senior dictorum scrutatorum ipsum scrutinium mox de persona electa publicet et pronuntiet in communi. Majorem vero partem intelligimus, in ista electione et omnibus aliis electionibus et negotiis dicti collegii, eam in qua numerus consentientium major est quam cæterorum; vel si in aliquibus partibus sit æqualis numerus eligentium consentientium, tunc inter ipsas partes major censeatur illa in qua est consensus senioris illarum partium æqualium. Facta vero pronuntiatione prædicta de hujusmodi electione, quam cito commode fieri poterit, ei intimetur electio: quam si acceptaverit, statim, si præsens fuerit, aut, si absens, intra mensem, in capella dicti collegii, die aliquo et hora per ipsum præstituendis, cum Viceprincipale et omnibus Sociis et scholaribus in Universitate præsentibus conveniat. Tuncque Viceprincipalis vel, ipso in Principalem electo, senior Socius, genuflectens sic dicat: "Salvum fac servum tuum, Domine." *Resp.* "Deus meus sperantem in te." *Vers.* "Dominus vobiscum." *Resp.* "Et cum spiritu tuo." *Oremus.* "Omnipotens et sempiterne Deus, qui fons et dator es bonorum omnium, qui humilibus gratiam, parvulis sapientiam, et in fide petentibus a te Spiritum tuum Sanctum largiris, concede, quæsumus, ut famulus hic tuus, quem, dirigente te, in Principalem et gubernatorem nostrum elegimus, bonitatis erga ipsum tuæ, et spartæ, quam nactus est, memor, indies in tui cognitione proficiat, sanctissimæ tuæ voluntati in omnibus se accommodet, nominis tui gloriam indefesse quærat, talentum sibi concreditum fideliter dispenset, gregem in hoc collegio depascentem, tibique et unigenito Filio tuo deserviturum, solicite regat, quod justum et æquum fuerit perpetuo decernat sine personarum acceptione, quæ ad ipsius officium spectant sedulo administret, universis quibus præficitur bonis operibus præluceat, in fide, caritate, patientia, mansuetudine, exemplum se minime erubescendum præbeat; sicque omnes ipsius ductum sequentes, recteque facta per totum vitæ nostræ spatium constanter imitantes, nomen tuum et ipsi recte colamus, et ab aliis colendum declaremus in terris; ut gloriæ tuæ participes tandem fiamus in cœlis; per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum in unitate Sancti Spiritus vivit et regnat, Deus in omnem æternitatem. Amen." Deinde sequatur litania, cum hac oratione

Scrutiny of votes.

Definition of a majority.

Declaration of election, and service in the chapel.

Digitized by Google

sequente, sub finem, "Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut omnis cum oratio tum operatio nostra et a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur, per Christum Dominum nostrum. Amen."

3.—*Juramentum Principalis.*

Oath of Principal.

Profession of Christian faith, &c.

Supremacy of the Sovereign.

Government of the College.

Maintenance of rights.

Assent of Fellows to suits of importance.

Impartiality.

"Ego N.P., in Principalem collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, nominatus et electus, juro, tactis et inspectis per me istis Sacrosanctis Evangeliis, quod veram Christi religionem toto animo jam profiteor et perpetuo profitebor. Scripturæ auctoritatem hominum judiciis præpono et præponam. Regulam et fidei summam ex verbo Dei peto et petam; cætera, quæ ex verbo Dei non probantur, pro humanis et non necessariis ad salutem habeo et habebo. Auctoritatem regiam in regno suo summam et externorum episcoporum jurisdictioni minime subjectam esse teneo et tenebo. Contrarias verbo Dei opiniones pro posse et virili meo refutabo, vera consuetis, scripta non scriptis, in religionis causa antehabeo et antehabebo. Similiter, quod dictum collegium et omnia beneficia, terras, tenementa, possessiones, redditus spirituales et temporales, jura, libertates, privilegia, et bona ejusdem quæcunque, regam, custodiam et gubernabo, et per alios hujus collegii officiarios et ministros regi, custodiri et gubernari, pro posse meo procurabo, et administrationi omnium bonorum et rerum ad ipsum collegium qualitercunque pertinentium fideliter et diligenter intendam. Item, quod lites aut jura quæcunque dicti collegii defendam; necnon omnia et singula negotia dictum collegium qualitercunque concernentia prosequar diligenter; ac possessiones, libertates, privilegia et jura quæcunque, dicti collegii manutenebo et defendam, et ab aliis manuteneri et defendi pro posse meo procurabo: ita, tamen, quod causas et lites graves, in quibus verti poterit ipsius collegii exhæreditatio aut grave præjudicium, sine omnium Sociorum in Universitate præsentium vel majoris partis eorundem maturo et deliberato consilio et assensu, non incipiam, nec inchoari aut manuteneri faciam quovismodo. Item, quod omnes et singulos Socios et scholares dicti collegii, juxta statuta et ordinationes ejusdem, absque personarum, generis aut patriæ, acceptione quacunque, regam et per alios regi faciam, juxta posse; nec, contra justitiam, caritatem et fraternitatem, gravamina vel molestias alicui inferam vel inferri faciam; sed, quantum in me fuerit, correctiones, punitiones et reformationes debitas, de quibuscunque delictis, criminibus et excessibus, Sociorum et scholarium dicti collegii, quoties, ubi, quando et prout, opus fuerit, juxta negotii qualitatem, et vim, formam et effectum, ordinationum et statutorum dicti collegii, postpositis omnimodis prece, pretio, amore, timore, odio, invidia, favore, necnon affectionibus consanguinitatis, affinitatis et patriæ, diligenter

Digitized by Google

et indifferenter faciam, aut ea per alios fieri procurabo, quantum in me erit. Et si hujusmodi correctiones, punitiones et reformationes, ut præfertur, debite facere non potero, propter potentiam aut multitudinem delinquentium, ipsorum nomina et cognomina, cum qualitate et quantitate delictorum et excessuum hujusmodi, ex tunc quam cito potero, et hoc infra mensem, domino Visitatori, qui infra designatur, deferam. Item, quod officiarios et ministros ejusdem collegii, quibuscunque officiis et ministeriis deputatos et deputandos, diligenter eisdem intendere faciam juxta posse. Item, si ab officio meo ob culpam meam me amoveri, vel eidem propter aliam causam me sponte cedere, aut mori, contingat, si bona aliqua dicti collegii, tempore amotionis, cessionis vel mortis meæ hujusmodi, vel post amotionem aut cessionem meam, penes me vel in possessione aut potestate habuero, ipsa omnia, et ea quæ per me prius, durante officio meo, percepta fuerunt, successori meo, Principali dicti collegii, et eidem collegio, ad usum et utilitatem ejusdem, integre restituam seu restitui faciam, sine contradictione et diminutione quacunque: nec aliquod hujusmodi bonorum mihi aut usui meo appropriabo, præter ea quæ mihi, pro hujusmodi officio exequendo, in dicti collegii statutis et ordinationibus disponuntur. Item, quod non provocabo invidiam, iram, odium, discordias, contumelias, rixas vel jurgia, seu qualescunque comparationes, quæ odiosæ sunt, verbo vel facto, inter dicti collegii Socios vel scholares, expresse vel occulte. Item, quod conspirationes, confœderationes aut pactiones aliquas, alicubi infra regnum Angliæ vel extra, ordinationes et statuta dicti collegii concernentia, vel contra ipsius collegii utilitatem, commodum et honorem, illicite non faciam, nec ipsa procurabo, seu permittam ab aliis fieri, quantum in me fuerit, quomodolibet in futurum, seu faventibus ipsa vel eorum aliquod dabo consilium, auxilium vel favorem, aut eisdem interesse præsumam, nec ipsis consentiam vel expresse vel tacite. Item, quod de veris et perpetuis Sociis in dictum collegium eligendis et admittendis fidele consilium tribuam, ut de personis castis, modestis, honestis, aptis ad studendum, et ad proficiendum in actibus scholasticis habilibus et idoneis, ac proficere volentibus, juxta formam statutorum collegio provideatur. Item, quod omnia statuta et ordinationes hujus collegii, ac omnia et singula in eisdem contenta, quatenus personam meam concernunt vel concernere poterunt, secundum planum et literalem et grammaticalem sensum et intellectum inviolabiliter observabo, et, quantum in me fuerit, ab aliis observari faciam. Interpretationibus, cum declarationibus et expositionibus, per Visitatorem et illius successores, de et super dubiis statutorum, cum effectu parebo. Item, quod non impetrabo dispensationem aliquam contra juramenta mea prædicta, et contra ordinationes et statuta dicti collegii aut ipsorum aliquod. Juro, denique, quod neque ma-

Corrections and punishments.

Duties of officers.

Restoration of College goods on removal from office.

Moving discord.

Conspiracies against College.

Election of Fellows.

Observance of statutes.

Visitor's interpretations.

Dispensation from oath, & Celibacy.

Digitized by Google

trimonium neque sponsalia cum aliqua contraxi fœmina, neque contraham, quamdiu Principalis fuero hujus collegii: sicut Deus me adjuvet et hæc sancta Evangelia." Hoc juramento ubi Principalis fidem suam Deo, justo æstimatori factorum, obligârit, et rite in realem dicti loci possessionem admissus et inductus fuerit, nomen suum et jusjurandum acceptum, et annum et diem juramenti præstiti, manu propria in librum, qui huic negotio peculiaris erit, referet; et ex eo tempore plenum et integrum jus muneris sui habeat, et omnia commoda, jura, privilegia et emolumenta, quæ ad Principalem spectant, percipiat.

Registry of, and subscription to, oath.

4.—*De potestate Principalis, et ejus officio.*

Item, statuimus, ordinamus et volumus, quod Principalis, qui pro tempore fuerit in dicto collegio, omnibus et singulis Sociis, scholaribus, officiariis, et ministris, ac aliis quibuscunque personis in dicto collegio degentibus, præsentibus ac futuris, præsit et præmineat; eosque, juxta ordinationes et statuta dicti collegii, regat, corrigat et castiget, secundum vim, formam et effectum, eorundem. Itemque, felici et salubri regimini atque curæ dicti collegii, Sociorum, scholarium, et aliarum personarum ejusdem, omniumque terrarum, possessionum, redditiuum spiritualium et temporalium, et administrationi rerum et bonorum quorumcunque ad ipsum collegium qualitercunque pertinentium, fideliter et diligenter intendat, ac alios ejus collegii officiarios et ministros diligenter intendere, ad commodum, utilitatem et honorem, dicti collegii, faciat, bonaque omnia et singula supradicta, in commodum, utilitatem et honorem, dicti collegii, Sociorum et scholarium ejusdem, prout necessitas ejusdem exegerit et ordinationes et statuta ista in hac parte plenius dictaverint, faciat et procuret utiliter dispensari et in omnibus administrari: ea vero quæ residua erunt et excrescent, ad incrementum dicti collegii et commodum ejusdem, fideliter conservari curet. Statuimus etiam et ordinamus, quod omnia placita, tam realia quam personalia, dictum collegium aut possessiones ejusdem acquisitas et acquirendas qualitercunque concernentia, in quibuscunque curiis moveantur, dictus Principalis, qui pro tempore fuerit, in ipsius Principalis, Sociorum et scholarium, collegii Jesu prædicti nomine, prosequatur et defendat. Volumus, tamen, ordinamus et statuimus, quod, in majoribus ipsius collegii negotiis, videlicet, in traditionibus firmarum et maneriorum per sigillum commune, in beneficiorum ecclesiasticorum collationibus, et præsentationibus ad ea beneficia, quorum advocationes vel jus patronatus jam possident vel in posterum possidebunt, in causis, controversiis, placitis, litibus gravioribus, et in omnibus literis sigillo communi sigillandis, et in aliis consimilibus seu majoribus negotiis ipsius collegii aggrediendis seu inchoandis, omnes Socii in Universitate, tempore quo hujusmodi negotia imminebunt seu incident, præsentes, ad vocationem et præmonitionem dicti

Power of Principal.

Administration of College property, &c.

Prosecution of causes.

Consultation with Fellows in matters of importance.

Digitized by Google

Principalis, in aulam, vel alium locum honestum et congruum infra dictum collegium, una cum Principali, invicem conveniant, ad communiter tractandum et deliberandum super hujusmodi negotiis; et quod in præmissis per majorem partem Sociorum dictorum cum consensu Principalis fuerit deliberatum, conclusum et concessum, roboris habeat firmitatem. Proviso quod, quicquid sic deliberatum, conclusum et concessum, fuerit, vel statim vel intra duorum dierum spatium in scriptum redigatur, et inter acta dicti collegii, manu Principalis et Seniorum, consensum suum tum præbentium, signatum, conservetur. Volumus etiam et statuimus, quod dictus Principalis, quo diligentius suum officium exequatur, tale salarium quale inferius ei assignabimus de bonis collegii prædicti percipiat.

5.—*De electione Sociorum et scholarium.*

Ut numerus sexdecim Sociorum et sexdecim scholarium per Dei gratiam in perpetuum conservetur, statuimus, ordinamus ac volumus, quod, postquam per mortem, cessionem, promotionem, recessum totalem, privationem, aut quemvis alium modum, alicujus Socii locum in collegio prædicto vacare contigerit, absque omni dolo et fraude, intra mensem a vacationis notitia numerandum, in eundem locum alius eligatur: ita, tamen, ut ante viginti dies elapsos post hujusmodi notitiam, et publicam Sociorum in Universitate præsentium, ad certum locum, diem et horam, citationem aut monitionem, ad alicujus electionem ne procedatur. Quo autem dicti collegii scholares ad majores in literis progressus faciendos excitentur, statuimus etiam et ordinamus, ut (habita semper ratione ordinationum a benefactoribus illis constitutarum, qui locum aliquem Socii aut scholaris stipendio aut pensione annua dotaverint) si quis ex scholaribus dicti collegii, tempore hujusmodi electionis, gradibus Magisterii in artibus aut baccalaureatus insignitus, idoneus fuerit repertus, is præ cæteris in locum sic vacantem eligatur. Si vero nullus ejusmodi repertus fuerit, tunc scholaris aliquis dicti collegii non graduatus, sin autem nec ejusmodi aliquis idoneus extiterit, tum Magister vel baccalaureus aliquis in artibus, qui laudabiliter secundum statuta academiæ in Quadragesima determinaverit, modo talis in Universitate tunc reperiri poterit, cooptetur. Magistro vero aut baccalaureo qui sic determinaverit in Universitate non invento, tum Magistrum aut baccalaureum qui non adhuc determinaverit, aut scholarem qui non sit de collegio, eligi permittimus. Proviso semper, quod quilibet eorum eligendus sit (habita semper ratione et observato ordine superius specificatis) de aptioribus et habilioribus, quoad mores et scientiam, qui in collegio aut Universitate reperiri poterunt, et decimum septimum ætatis suæ annum compleverit, nec vicesimum sextum excesserit. Adveniente vero electionis die, Principalis et Socii in Universitate præsentes

Elections to vacant Fellowships and scholarships.

Interval before election to Fellowship.

Preference among scholars according to degrees.

Qualifications for Fellowship.

Manner of election of Fellows.

Digitized by Google

conveniant in aula dicti collegii, hora per Principalem assignata; statimque legatur hoc præsens statutum plane per primum seniorem vel alium Socium per Principalem assignatum, in audientia prædictorum. Deinde, jurent singuli electores per ordinem, quod, postpositis omnimodis amore, favore, odio, invidia, acceptione personæ et patriæ, prece et pretio, cæterisque coloribus, occasionibus et causis quibuscunque, in nullum alium eligendum consentient, nisi quem, juxta mentem præsentis statuti, idoneum ipsorum conscientia judicabit. Moxque duo primi Seniores, postquam sua vota, inspiciente Principale, scripserint, vota reliquorum, manu propria scribentium eadem, secrete et privatim similiter recipient, ita ut, nec in tempore ipsius scrutinii, neque post illius publicationem, ullus ex scrutatoribus vota cujusquam nutu, signo, verbo, facto aut scripto, revelet. Quo quidem in scrutinio fideliter per Principalem et dictos scrutatores examinato, ille, in quem major vel æqualis pars Sociorum cum Principale consenserit, pro electo habeatur, et sic per Principalem immediate pronuntietur; qui sic electus, intra mensem, si se offerat, tum in annum probationis, tum ad communas Sociorum, admittatur; præstito prius juramento in præsentia Principalis, et Principale absente in præsentia Viceprincipalis et Sociorum dicti collegii tunc in Universitate præsentium, aut majoris partis eorundem, quod non habet patrimonium, feodum, annuam pensionem, aut beneficium ecclesiasticum perpetuum quodcunque, de quo sibi constat, unde potest expendere annuatim ultra decem libras; et quod omnia et singula statuta et ordinationes dicti collegii, quatenus ipsum concernunt, fideliter observabit. Si vero, intra mensem hujusmodi, electus, modo certior de sua electione intra quatuordecim dies post eandem peractam factus fuerit, se non offerat, tunc absque mora per Principalem, vel illo absente Viceprincipalem, ejus locus declaretur vacuus, et infra mensem alium exinde continuo numerandum, modo et forma prædictis, alius eligatur. Quemlibet igitur sic electum per unum annum in eodem collegio stare volumus, antequam in verum et perpetuum Socium ejusdem collegii admittatur, quo probari possit, si moribus et scientia aptus fuerit et idoneus ad Societatem dicti collegii. Quo quidem probationis anno durante, eum nec in consiliis interesse aut officium aliquod ipsius collegii gerere vel exercere, nec Socium haberi, volumus quovismodo. Completo vero anno probationis prædicto, Principalis, vel eo absente Viceprincipalis, et Socii in Universitate tunc præsentes, ad aulam dicti collegii conveniant; ubi Principalis, vel eo absente Viceprincipalis, vota Sociorum tunc præsentium palam et publice pro quolibet, qui probationis annum compleverit, nominatim inquirat. Qui, si, juxta conscientiam et discretionem [ipsius] Principalis, vel ejus absentia Viceprincipalis, et majoris partis Sociorum, aptus fuerit inventus et idoneus, in verum et perpetuum Socium

Reading the statute.

Oath of impartiality.

Scrutiny of votes.

Oath of Fellow elect respecting income.

Year of probation.

Admission as perpetual Fellow.

Digitized by Google

ipsius collegii, et ad omne jus Socii, admittatur; præstito prius per eum hoc quod subscriptum est juramento. Quod si vero per antedictos, modo quo præfertur, idoneus non inveniatur, tunc per eos omnino a Societate in dicto collegio vigore præsentis statuti repellatur. Nihilominus, quia octo tantum existunt jam dicti collegii Socii, et illi ita locis disjuncti sunt, ut sine suæ salutis dispendio in dictum collegium convenire nequeunt, statuimus et volumus, quod Principali et modernis dicti collegii Sociis, vel majori eorum parti, si plures convenire commode non potuerint, præsente hoc statuto non obstante, licebit, ubicunque, quandocunque, undecunque, et quoscunque (modo habiles et idonei tam moribus quam scientia sint) in Socios dicti collegii pro unica et proxima vice eligere, quo numerus Sociorum præstitutus suppleatur. Quod vero ad scholares attinet, volumus, ut, observatis in ipsorum electione qualitatibus et forma, quas in electionibus Sociorum ad probationis annum admittendorum observandas supra statuimus, eligi in numerum illorum possint, qui tantum duodecimum ætatis suæ annum compleverunt, et vicesimum quartum non excesserunt; solique tales ex iis in admissione sua juramentum, a dictis admittendis ad annum probationis præstandum, suscipere teneantur, qui decimum sextum ætatis annum [sunt] prætergressi; cæteri vero postquam ad similem maturitatem pervenerint. Proviso semper, quod nemo ad locum Socii aut scholaris dicti collegii, a benefactore aliquo dotatum pensione aut stipendio annuo, eligatur, nisi talis omnino, tum quoad prosapiam, tum quoad patriam, qualem ex benefactoris illius ordinationibus esse oportere constabit, aliquo alio statuto dicti collegii non obstante.

Expulsion from incompetence.

Election and qualifications of scholars.

Elections to endowments by benefactors.

6.—*Juramentum Sociorum.*

"Ego N., electus in Socium collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ, juro, ad sancta hæc Evangelia per me corporaliter tacta, quod veram Christi religionem omni animo et jam profiteor et perpetuo profitebor. Scripturæ auctoritatem hominum judiciis præpono et præponam. Regulam et fidei summam ex verbo Dei peto et petam. Cætera, quæ ex verbo Dei non probantur, pro humanis et non necessariis ad salutem habeo et habebo. Auctoritatem regiam in regno suo summam et externorum episcoporum jurisdictioni minime subjectam teneo et tenebo. Contrarias verbo Dei opiniones pro posse et virili meo refutabo. Vera consuetis, scripta non scriptis, in religionis causa antehabeo et antehabebo. Similiter, quod omnia statuta et ordinationes hujus collegii, ac omnia ac singula in eisdem contenta, quatenus personam meam concernunt vel concernere poterunt, secundum planum, literalem et grammaticalem, sensum et intellectum, inviolabiliter observabo, et quantum in me fuerit ab aliis

Oath of a Fellow.

Profession of Christianity, &c.

Supremacy of the Sovereign.

Observance of statutes.

Digitized by Google

observari faciam: alioqui, pœnas in dictis statutis inflictas, aut quæ secundum formam eorundem infligentur, sine contradictione quacunque subibo. Item, quod interpretationibus, cum declarationibus et expositionibus, per Visitatorem et ejus successores de et super dubiis statutorum faciendis, cum effectu parebo. Item, quod Principali et Viceprincipali, et aliis meis superioribus in dicto collegio, in licitis [et honestis], et maxime dicti collegii negotiis et factis, obediam, assistam, et reverentiam debitam ipsis impendam. Item, quod ad dicti collegii melioritatem, et augmentationem bonorum, terrarum, possessionum, redditium, ac jurium ejusdem confirmationem et defensionem, et quoruncunque negotiorum dicti collegii celerem expeditionem, ad quemcunque statum, gradum, dignitatem et honorem, in posterum me devenire contigerit, in sanis consiliis, favoribus et auxiliis, si requisitus fuero, diligenter intendam et instabo, quamdiu vixero in hoc mundo. Item, quod fidelis ero et diligens in quocunque officio et negotio, ad quod me in eodem collegio deputari contigerit, et illud fideliter implebo. Et si contingat me in posterum, propter contemptum, rebellionem, inobedientiam, malos mores, seu propter alias causas in præsentibus statutis et ordinationibus contentas, corrigi, puniri, aut a collegii sustentatione, et Societate ejusdem, juxta formam statutorum et ordinationum dicti collegii, ejici, expelli, privari, excludi vel amoveri, ex certa mea scientia, pure, sponte et simpliciter, omni actioni, occasione punitionis, expulsionis, privationis, exclusionis seu amotionis hujusmodi, contra Principalem, Socium aut scholarem quemcunque dicti collegii, conjunctim vel divisim, quomodolibet instituendæ, appellationique et querelæ in ea parte faciendis, et quarumcunque literarum impetrationi, precibus principum, prælatorum, procerum, magnatum, et aliorum quorumcunque, quantumcunque alias mihi probitatis et vitæ merita suffragentur, in vim pacti renuntio in his scriptis. Item, quod non impetrabo dispensationem aliquam contra hæc mea juramenta, nec contra aliquam particulam eorundem, per me, alium vel alios, publice vel private. Et si aliquam dispensationem hujusmodi impetrari, vel gratis offerri seu concedi mihi, contigerit, cujuscunque fuerit auctoritatis, vel sub quacunque forma verborum concessa fuerit, ipsa non utar quovismodo: sicut Deus me adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia." Ubi hoc juramento Socius electus fidem suam præpotenti Deo, justo factorum æstimatori, obligaverit, nomen suum ac jusjurandum acceptum, annum item et diem juramenti præstiti, manu propria in librum, quem huic negotio peculiarem futurum ante diximus, referet; et ex eo tempore plenum et integrum jus sui loci habeat, et omnia commoda, jura, privilegia, quæ ad Socium dicti collegii quoquo modo spectant, percipiat.

Visitors' interpretations.

Obedience to superiors.

Assistance to College in case of promotion.

Fidelity in office.

Renunciation of right to sue on appeal in case of punishment.

Dispensation from oath.

Subscription and registration of oath.

Digitized by Google

7.—*De salariis Principalis, Sociorum et scholarium.*

Quod autem ad salaria Principalis, Sociorum et scholarium, collegii attinet, statuimus, ordinamus et volumus, quod ex redditibus, qui in commune conferentur, Principalis quadraginta libras, quilibet Socius non honorarius viginti libras, quilibet scholaris decem libras, pro communiis, stipendio, et veste liberata, singulis annis ad quatuor anni terminos usuales percipiat, quamprimum redditus antedicti ad faciendam tantam, allocationem sufficient. Interim vero, volumus et statuimus ut antedictus Principalis, Socii et scholares, solummodo tantum, juxta proportionem modo memoratam, ex redditibus antedictis accipiant, quantum iidem redditus, expensis in lege et in aliis necessariis oneribus deductis et allocatis, ferre possint, modo summam præscriptam non excedat, donec collegium plene fuerit constructum et exædificatum. Tunc enim permittimus Principali et Sociis, vel majori parti eorundem, ex consensu Visitatoris, dictas allocationes, observata proportione antedicta, augere. Proviso, quod tertia pars summæ illius, quæ, post factas allocationes præfatas et expensas in lege et aliis necessariis oneribus deductas, supererit, in thesaurariam, ad supportanda onera extraordinaria et sublevandas temporum difficultates, et ruinas et damna graviora, reponatur. Qui vero Socii et scholares loca illa occupabunt quæ benefactor aliquis redditibus aut fundis specialiter dotaverit, statuimus et volumus, ut illi, pro suis communiis, stipendiis et vestibus liberatis, tantam pecuniæ summam accipiant, quantam iidem benefactores ipsis persolvendam constituent; nisi forte dicta summa minor sit quam illa, quæ Sociis et scholaribus reliquis ex redditibus in commune collatis pendetur; in quo casu, volumus ut summa ab hujusmodi benefactoribus ipsis constituta ad illam alteram ex modo memoratis redditibus adaugeatur. Communias, vero, ut nolumus a quoquam alibi quam in aula percipi, nisi ab iis, quibus Principalis, aut eo absente Viceprincipalis, ex causa aliqua urgente, licentiam dederit ita faciendi ad aliquod tempus; ita statuimus etiam et ordinamus, ut ex salariis Principalis, Sociorum et scholarium, dicti collegii fiat deductio pro communiis suis, juxta ratam sequentem; videlicet, quinque solidorum quavis septimana pro communiis Principalis; trium solidorum et quatuor denariorum quavis septimana pro communiis Socii; duorum solidorum quavis septimana pro communiis scholaris: utque summæ pro dictis communiis sic deducendæ in manibus bursarii de tempore in tempus retineantur, et pro parte soluti salarii habeantur. Et tamen, si quis, licentia obtenta, per totam aliquam septimanam vel plures abfuerit, et initio septimanæ illius in qua se absentare inceperit, vel ante illud, bursario se sic abfuturum indicaverit, quo in emendis victualibus ratio illius absentiæ haberi possit,

Salaries of Principal, Fellows, and scholars.

Reserve for extraordinary charges.

Stipends, &c., of holders of Fellowships, &c., endowed by benefactors.

Deduction from salaries for commons.

Exception during absence.

Digitized by Google

Payments by Commoners for commons.

volumus ut pro hujusmodi hebdomadibus nulla petatur allocatio, nulla ex salario [suo] fiat deductio. Communiarii quoque, qui ad mensam Principalis vel Sociorum vel scholarium admittuntur, solvant pro communiis suis hebdomadatim, vel in fine cujusque termini, uti usus collegii postulaverit, aut ferre potuerit, juxta ratam prædictam. Videlicet, admissi ad Principalis mensam, quinque solidorum summam; ad Sociorum, trium solidorum et quatuor denariorum; ad scholarium, duorum solidorum; nisi forte Principali aut majori parti Sociorum plus ab illis videbitur exigendum. Nec id solum cum præsentes erunt, sed etiam quamdiu aberunt, nisi ipsi quoque bursarium ante suam profectionem certiorem de tempore suæ absentiæ fecerint. Porro, diem Veneris pro initio septimanæ habendum semper esse statuimus.

8.—*De Viceprincipalis electione et officio.*

Of the Vice-principal.

Quum nonnunquam, propter diversa collegii prædicti negotia, dictum Principalem abesse, et dictum collegium Principale [aliquando] destitui necesse sit, ac etiam ne ipse Principalis, dum præsens fuerit, nimio onere prematur, statuimus, ordinamus et volumus, ut in præfato collegio sit semper unus de Senioribus discretioribus et maturioribus Sociis, scientia et moribus approbatus, qui Viceprincipalis nuncupetur; cujus electionem fieri volumus singulis annis sub hac forma. Videlicet, Principale et Sociis in capella prædicti collegii congregatis, singuli Socii tum in Universitate præsentes, per ordinem, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, corporale præstabunt juramentum, quod nullum ad Viceprincipalis officium nominabunt, nisi quem ad hujusmodi officium exercendum meliorem et aptiorem ejusdem eligentis conscientia judicabit, affectione et partialitate postpositis quibuscunque. Consimile etiam juramentum, in omnibus aliis officiariorum dicti collegii electionibus, ab ipsis Sociis electoribus præstari volumus. Deinde, inquirat Principalis palam et publice vota singulorum; et ille, in quem Principalis et major pars eligentium consenserit, pro electo habeatur, sicque per Principalem illico pronuntietur. Qui Viceprincipalis in dicto collegio teneatur continuo residere, nisi ex magna et urgenti causa ad dicti collegii negotia eum transmitti, vel ex alia rationabili causa, approbanda per Principalem et duos seniores Socios, abesse contingat. Interim vero, dum abest Viceprincipalis, senior Socius, qui præsens in Universitate fuerit, ejus officium gerere et in omnibus diligenter exercere teneatur. Qui etiam Viceprincipalis, absente aut nullo existente Principali, vices ipsius gerat, exerceat, et in omnibus diligenter suppleat, (exceptis majoribus dicti collegii negotiis, cum quibus, nisi imminente periculo damni sive præjudicii collegii prædicti, nolumus ipsum quovismodo, absente Principali, intromittere,) illique tanquam

Manner of his election.

Residence in College.

Duties and power of Vice-principal.

Digitized by Google

Principali ab omnibus pareatur. Principali vero præsente, circa omnia dicto collegio et personis ejusdem necessaria et utilia, eidem solerter assistat; negligentias quoque, excessus et defectus, necnon crimina et delicta quæ a Sociis, officiariis, scholaribus aut servientibus, dicti collegii, aut ullis aliis in collegio degentibus, noverit esse commissa, (exceptis iis quæ expulsionem aut monitionem requirunt; quoniam hæc omnino, nisi vel absente vel nullo existente Principali, Principalis cognitioni reservari volumus; et iis quæ a prælectore aliquo punienda sunt, quoniam hæc quoque nisi in simili casu reservanda ducimus,) postpositis omnino amore, favore, timore, odio, invidia, et affectionibus quibuscunque consanguinitatis, affinitatis et patriæ, necnon prece aut pretio, secundum statuta et ordinationes collegii prædicti, et alia in ipsis statutis et ordinationibus non comprehensa, secundum discretionem suam corrigat, puniat et reformat. Volumus, etiam, quod, Principali absente, quilibet in collegio existens Viceprincipali obediat in omnibus licitis et congruis injunctionibus, sub pœna secundum statuta inferius specificata infligenda; cui etiam circa prædicta, si opus fuerit, ipsum Principalem volumus esse adjutorem et roboris præbitorem. Quod si vero prædictus Viceprincipalis nimis austerum vel facilem in corrigendo se præstiterit, judicio Principalis, bursarii et censoris philosophiæ, vel duorum eorum, quorum unus sit Principalis, corrigatur, et, juxta discretiones eorundem, ipsa pœna ab ipso inflicta augeatur vel minuatur. Præterea, Viceprincipalis, singulis hebdomadis, die Sabbati, vel, si Sabbatum dies festus fuerit, profesto proxime præcedente, observabit correctiones, omnibus baccalaureis et scholasticis non graduatis congregatis in aulam dicti collegii, inquirendo de delictis prædictorum illa hebdomada commissis: quibus correctionibus unumquemque baccalaureorum et scholasticorum prædictorum a principio usque ad finem, sub pœna sex denariorum, interesse volumus; et quodcunque officium congruum sibi per Viceprincipalem prædictum assignatum, sub pœna recusantibus ad arbitrium ipsius et censoris infligenda pro qualibet vice sic neglecta, subire. Ad quæ omnia et singula, quantum ad ipsum pertinet, bene et fideliter facienda et observanda, Viceprincipalis prædictus, statim post electionem ipsius, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, in præsentia dictorum eligentium præstet corporale juramentum. Volumus, etiam, quod dictus Viceprincipalis, quo libentius et diligentius suum exequatur officium, ultra Sociorum emolumenta, singulis annis, ad quatuor anni terminos, de manibus Principalis vel bursarii, pro stipendio, percipiat quadraginta solidos. Verum si quis, sic, ut præfertur, ad prædictum officium electus, vel pertinaciter illud recusaverit, vel, postquam suscepit, in aliquo præmissorum ad dictum munus spectantium negligens aut culpabilis inventus fuerit, volumus ut, judicio Principalis, cum consensu majoris partis Sociorum in Universitate præsen-

Over-severity or leniency of Viceprincipal in punishing.

Viceprincipal to be sworn.

His stipend.

Refusal of office, or negligent discharge of duties.

Digitized by Google

tium, tamdiu convictu suo quotidiano privetur donec se correxerit; et si in præmissis vel eorum aliquo tertia vice negligens aut culpabilis deprehensus erit, volumus et ordinamus ut officio suo, per Principalem et majorem partem Sociorum in Universitate præsentium, amoveatur; numeratis per eum præterea, ad usum ejus qui ipsius loco ad dictum officium proxime eligetur, viginti solidis.

9.—*In quibus Socii, scholares et cæteri, debeant obedire Principali et Viceprincipali.*

Penalties for disobedience to Principal or Viceprincipal.

Power to Principal and Viceprincipal to prohibit Fellows from entering houses of laymen.

Walking alone.

SECT. 2.—Item, statuimus, ordinamus et volumus, quod omnes et singuli Socii, scholares, officiarii et ministri, dicti collegii, et alii quicunque ibidem existentes, Principali, qui pro tempore fuerit, et, eo absente, Viceprincipali ejusdem collegii, in omnibus licitis et honestis mandatis et injunctionibus sint obedientes cum effectu. Si quis vero in præmissis [vel eorum aliquo] rebellis vel inobediens fuerit repertus, per evidentiam facti, per testes juratos, aut per confessionem propriam coram Principali vel Viceprincipali, volumus quod sex solidis et octo denariis mulctabitur. Nihilominus, si ultra tres dies in hujusmodi rebellione vel inobedientia perduraverit, ex tunc ipso facto a dicto collegio sit expulsus. Statuimus, præterea, quod ad vocationem Principalis vel Viceprincipalis quilibet Socius et scholaris dicti collegii mature veniat; et quod nullus eorum Principali vel Viceprincipali resistat, quin habeat Principalis liberum introitum in quemcunque locum dicti collegii, sub pœna expulsionis ab eodem collegio; nisi ejus causa per Principalem et Socios graduatos, vel majorem partem eorundem, fuerit approbata. Volumus, etiam, quod Principalis vel Viceprincipalis dicti collegii, cum consensu censoris philosophiæ, habeat potestatem inhibendi et prohibendi quemcunque scholarem non graduatum, Socium vel non Socium, ab ingressu domus cujuscunque laici et domorum quorumcunque laicorum infra præcinctum Universitatis; quam facultatem etiam concedimus Principali, vel, eo absente, Viceprincipali, cum consensu censoris antedicti, supra baccalaureos omnes dicti collegii, quotiescunque sibi videbitur opportunum: et, in causa urgenti, consimilem potestatem eidem Principali, vel Viceprincipali in absentia Principalis, cum consensu moderatoris theologiæ, super Magistros, concedi volumus et decernimus. Statuentes, etiam, quod nullus scholaris non graduatus dicti collegii, Socius vel non Socius, (exceptis pauperibus scholaribus servientibus) e collegio in publicum egrediatur sine teste conversationis suæ, quem secum adhibebit, et venia prius obtenta a Principali seu Viceprincipali, sub pœna duorum solidorum vel aliæ convenientis correptionis.

Digitized by Google

10.—*De bursario.*

Quo melius, non solum commodo, sed honori etiam dicti collegii prospiciatur, singulisque tum domesticis tum alienis, quibuscum aliquid commercii habebitur, plenius et tranquillius satisfiat, volumus ut sit unus bursarius; in cujus electione, juxta formam electionis Viceprincipalis facienda, magnam a se rationem et fidelitatis et prudentiæ habendam quisque electorum cognoscat. Quoniam autem quæ ad officium ejus spectant, eo facilius, diligentius, et minore ipsorum periculo, confici posse non dubitamus, quo distributius [de eo] a nobis statuitur, statuimus ut ejus sit omnes redditus, proventus, exitus, fines, fructus et pensiones, omnium maneriorum, terrarum, tenementorum, rectoriarum et possessionum, undecunque provenientium et ad dictum collegium pertinentium, summasque omnes pecuniarum, quacunque occasione dicto collegio solvendarum aut debitarum, de ballivis, œconomis, procuratoribus, firmariis, præpositis, et aliis receptoribus et debitoribus, datoribus et computantibus quibuscunque, recipere; et postulantibus pro receptis per ipsum acquietantias facere et deliberare; et undecunque recepta fideliter, juxta normam hujus statuti, servare et custodire. Item, stipendia, pensiones, annuitates solvere; de bonis et salubribus victualibus providendis curam agere; expositiones, collegii nomine faciendas, vel immediate per se vel mediate per alium vel alios facere; obsonatori, septimanæ cujusque initio, tantam pecuniæ summam, quantam ab eo illa expensum iri in collegii usum crediderit, præ manibus tradere, vel eo die quo ex dicto obsonatore ipsum pecunia in collegii usum indigere cognoverit, numerare; rerum in coquina et aula expensarum singulis diebus Veneris, hora prima post meridiem, nisi vel a dicto collegio, ex assensu Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis, absit, vel valetudine impediatur, hebdomadatim inire, vel saltem proxime sequenti die per Socium aliquem ex maxime senioribus iniri facere. Ad computum de omnibus tum receptis tum expensis, singulis anni quarteriis, fideliter faciendum paratum esse; et quotannis, mense scilicet Novembris, diebus a Principali præfigendis, generalem pro toto anno computum similiter reddere. Et, quo commodius hoc fiat, duos libros in promptu semper habere, unum, in quem diligenter omnium ballivorum, collectorum seu aliorum, qui solent collegio annuatim vel ullo anni tempore aliquid solvere, nomina separatim descripta sint, et in quem summas per ipsum receptas, suo ordine et titulo, cum mentione diei et anni nomineque [firmæ et] solventis, vel ejus qui summam illam solvere tenebatur, referat: alterum, in quo generis cujusque solutiones, etiam minutissimas, in diversis titulis et disjunctis locis, suo quodam ordine, pro cujusque anni termino, quamprimum commode poterit, vel potius ante solutionem factam, conscribat. Prior liber

Election of a Bursar.

To receive rents, &c.

To pay stipends, purchase victuals, &c.

To keep accounts.

Two books, for entries of receipts and payments.

Digitized by Google

(quem penes bursarium officio suo in fine computi discedentem manere permittimus) "Onus bursarii" appellari potest. Posterior (quem in domo thesauraria relinqui et servari volumus) "Exoneratio bursarii" nominabitur. Atque, ut omnes pecuniarum summas, collegii nomine vel recipiendas vel solvendas, tantum in dicta domo thesauraria recipi et solvi cupimus; ita, (nisi valetudo bursarii impedierit) quicquid alibi receptum fuerit, intra viginti quatuor horarum spatium a receptione, si domi facta sit, sin peregre, post reditum numerandarum, illuc referendum, ibique custodiendum, donec usus collegii aliter postulaverit, statuimus. Similiter, ad hunc etiam spectare volumus obsonatori, promo et coquo, superintendere, et, sub Principali et Viceprincipali, ut quisque eorum suum faciat officium pro viribus curare; vasa aurea et argentea suæ custodiæ commissa in domo thesauraria fideliter custodire, et, ubi opus fuerit ad honorem et usum collegii, æditueo et promo per indenturam deliberare, et congruis temporibus reposcere, et in dicta domo similiter custodienda reponere. Principalem, Socios et cæteros, de summis pecuniarum pro battellis et pupillorum suorum interpellare: et si qui, eo ipso die quo in fine quarterii stipendia Sociis et scholaribus solventur, pro dictis battellis non satisfecerint, eorum nomina proximo die Principali vel, eo absente, Viceprincipali deferre, ut vel convictus subtractione vel fidejussorum implacitatione, vel alia aliqua ratione legitima, ad satisfaciendum pro eisdem possint cogi. Si qui redditus, quæ debita, post tempus quo solvi oportebat insoluta maneant, quam primum Principali, aut, eo absente, Viceprincipali, quo de idoneo remedio prospiciatur, denuntiare. Munimenta quoque, evidentias, obligationes, indenturas ipsius fidei commissas, intra thesaurariam, sine additione, diminutione, alteratione, custodire, et ubi eis utendum erit, ex assensu Principalis, vel, eo absente, Viceprincipalis, et majoris partis Sociorum, per indenturam deliberare aliis, et ubi ratio utendorum illorum cessaverit, eadem reposcere, et postquam receperit, indenturam de illis factam cancellare. Denique, in conservandis sartis tectis, collegii ædibus et mœniis, cæterisque omnibus similibus negotiis ad collegii commodum spectantibus, pro ejusdem utilitate conficiendis, bonum patremfamilias agere. Stipendium pro dicto officio, sint quadraginta solidi ad quatuor anni terminos percipiendi. Pœna recusantis aut negligentius dictum munus obeuntis eadem quæ in Viceprincipalem recusantem, aut negligentius officium suum peragentem, constituta est.

Deposit of receipts in the treasury.

Superintendence of cook, manciple, and steward, and care of plate.

Battels.

Unpaid rents or debts.

Custody of muniments.

Preservation of buildings.

His stipend.

11.—*De officio et qualitate censoris philosophiæ et prælectoris dialecticæ.*

Quo juventutis moribus et in studiis profectui melius consulatur, statuimus et ordinamus ut sint in dicto collegio unus censor philosophiæ et unus prælector dialecticæ. Censoris philosophiæ,

A censor of philosophy, and a prelector of dialectics.

Digitized by Google

quem ex gravioribus, honestioribus, doctioribus et diligentioribus artium Magistris, secundum formam electionis Viceprincipalis, eligi volumus, partes erunt, hora septima in aurora, qualibet septimana in termino ter, nisi dies festus inciderit, librum aliquem naturalis philosophiæ, videlicet, Aristotelis Physica, libros de Cœlo et Mundo, libros Meteororum, vel libros de Anima, baccalaureis artium, sive Sociis sive non Sociis, in dicto collegio degentibus, prælegere, et in die Sabbati repetitiones ab auditoribus exigere, et eorum disputationes moderari, et ubi opus fuerit argumentis opponentium idoneas solutiones accommodare. Item, sub Principali et Viceprincipali, curam et regimen baccalaureorum et scholarium habere, eisdemque diligenter intendere, ut ipsi lectionibus et disputationibus, tum publicis tum privatis, juxta horum statutorum ordinationes intersint, et, eisdem vigilanter incumbentes, in studio scholastico et morum honestate proficiant. Ad hunc similiter spectabit, desides et negligentes, parumque proficientes in morum honestate, studio, disciplinisque quibus destinantur, corrigere, et eorum transgressiones et negligentias leviores punire; graviores autem Principali aut, eo absente, Viceprincipali denuntiare, quo juxta statuta debite castigentur ac puniantur. Præterea, singulis diebus Sabbati, vel, si Sabbatum dies festus fuerit, profesto proxime præcedente, hora prima pomeridiana, convocatis in aulam omnibus scholaribus, certos constituet monitores, ad delicta et errata singulorum scholarium, tam in aula quam in capella et alibi infra collegium, notanda, eaque omnia in scriptis et scedulis ad se, proximæ hebdomadæ correctionum die, deferenda. Quibus inspectis et diligenter consideratis, officium dicti censoris erit, singulos delinquentes ad se accersere, ad rationem negligentiæ et transgressionis suæ reddendam, et pro sua prudentia eorundem negligentias, tarditates, abitiones, absentias, et alia delicta, secundum horum statutorum intentionem, punire et mulctare. Ad quæ omnia et singula, juxta hæc statuta, præstanda et perimplenda, volumus eum per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem, coram Sociis in Universitate præsentibus, in virtute juramenti collegio præstiti, admoneri. Pro labore, autem, percipiat quadraginta solidos ad quatuor anni terminos, ipsi per bursarium numerandos; commoda item præsentationum vel accumulationum eorum qui ad Magisterii aut baccalaureatus in artibus gradum admittendi sunt, si per se eos præsentaverit, aut, ex causa per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem approbata, præsentari ab alio dicti collegii Socio procuraverit; medietatem quoque mulctarum omnium Sociorum et aliorum, pro absentiis a divinis precibus impositarum; nam has quoque notare et Viceprincipali deferre, quo summæ pro iis debitæ levari possint, ipsius esse decernimus et statuimus. Verum, si quis, sic, ut præfertur, ad prædictum officium electus, vel pertinaciter illud recusaverit, vel, postquam suscepit, in aliquo præmis-

Duties of the Censor of philosophy.

His stipend and allowances.

Refusal of office, or neglect of its duties.

Digitized by Google

sorum ad dictum munus spectantium negligens vel culpabilis inventus fuerit, volumus, ut judicio Principalis, assistentibus ei Viceprincipali et* bursario, tamdiu convictu suo quotidiano privetur, donec se correxerit; et, si in præmissis vel eorum aliquo tertia vice negligens aut culpabilis deprensus erit, volumus et ordinamus ut officio suo, per Principalem, aut, eo absente, Viceprincipalem, si consensum Principalis in scriptis habuerit, et majorem partem Sociorum in Universitate præsentium, amoveatur. Quod ad prælectorem in dialectica antedictum attinet; quem ex honestioribus, doctioribus et diligentioribus, artium baccalaureis, vel, si opus fuerit, Magistris, eligi eodem modo volumus quo censor; statuimus et ordinamus ut ille, hora sexta in aurora, qualibet septimana ter (exceptis vacationum temporibus, et nisi festi dies impediant) prælegat scholaribus in collegio degentibus, sive sint de collegio sive non, ex assignatione Principalis aut Viceprincipalis, vel Porphyrii Institutiones, vel Aristotelis Prædicamenta aut Topica; et die Sabbati repetitiones eorum, quæ illa hebdomada sunt tradita, exigat, et disputationes eorum audiat et moderetur, congruas argumentorum solutiones, quoties opus videbit, adhibens. Spectabit insuper ad eundem tum desides et negligentes, et parum in dialecticæ studio proficientes, tum loco et tempore ipsorum eruditioni assignatis ludentes, ridentes, fabulantes, dormientes, aut clamore plausum aut tumultum facientes, aut extra locum suum vagantes, aut alio præterquam Latino vel Græco idiomate loquentes, aut alio quovismodo impedimentum doctrinæ afferentes, corrigere, vel censori puniendos et castigandos pro delicti qualitate deferre. Atque, ut dictus prælector officium suum diligentius et lubentius exequatur, volumus, eidem † singulis anni quarteriis, de bonis collegii per bursarii manus persolvi. Cæterum, si vel asperum nimis vel nimis se facilem in corrigendo præstiterit, vel alios minus eruditos vel negligentes substituerit, vel officium suum juxta hanc præsentem ordinationem executus non fuerit, judicio Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis reformetur. Quod si, per eosdem vel eorum alterum monitus, sese emendare noluerit aut neglexerit, volumus ut per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem, assistente ei censore antedicto, statim officio suo privetur, aliusque secundum formam præscriptam in ejus locum eligatur. Ad hæc, ut tum censor philosophiæ tum prælector iste majore cum auditorum fructu tum legant tum interpretentur, integram horam vel tres horæ partes ad minimum in singulis eorum lectionibus et repetitionibus insumi volumus, disputationesque per integram horam ad minimum continuari. Lectionibus censoris omnes Baccalaurei, prælectoris vero omnes scholares, interesse tenebuntur a principio [usque] ad finem,

Election of the Prelector of dialectics, and his duties.

His stipend.

Correction of.

Duration of lectures.

Attendance at lectures.

* "Vel" in Lambeth MS. † Blank in MSS.

Digitized by Google

alioqui ita puniendi pro absentia, ac si a divinis precibus abfuissent; pro tarditate, ac si tardius ad dictas preces accessissent; nisi causæ talis absentiæ aut tarditatis censori aut Viceprincipali sive Principali fuerint approbatæ. Simili quoque sub pœna, volumus omnes graduatos, cujuscunque conditionis, in collegio degentes, prælectioni theologiæ publicæ, auctoritate regia in Universitate stabilitæ, singulis diebus interesse.

Attendance at divinity lecture.

12.—*De officiis divinis per Socios et non Socios celebrandis, et de orationibus dicendis.*

Quia Domino non ædificante domum, frustra laborant qui ædificant eam, et Domino non custodiente civitatem, frustra vigilat custos; ideo, ut Deus optimus maximus dictum collegium ædificet et ædificatum custodiat, et scholarium ejusdem laboribus et studiis benedicat, statuimus, ordinamus et volumus, ut, quolibet die in perpetuum, preces publicæ in capella dicti collegii mane inter horas quintam et sextam habeantur; quibus volumus omnes dicti collegii Socios et non Socios in Universitate præsentes, una cum servientibus dicti collegii et commorantibus in eo quibuscunque, interesse, exceptis Doctoribus et theologiæ baccalaureis, (quibus tamen consulimus ut intersint,) et ibi a principio [usque] ad finem remanere. Quod si quis in præmissis deliquerit, pro quavis tarditate aut recessu duobus denariis, et pro qualibet absentia quatuor denariis, multabitur; vel si adultus non fuerit virga corrigetur, prout Viceprincipali magis videbitur conveniens; nisi causa per Principalem vel Viceprincipalem approbetur. Diebus autem Dominicis et festivis, Principalis et supradicti Socii, scholares et servientes, cæterique in collegio commorantes, sive communarii sive battellatores, inter octavam et nonam antemeridianas et inter quartam et quintam pomeridianas, in capella ejusdem collegii, precibus a principio usque ad finem intersint, sub pœnis superius prætaxatis, vel majoribus, si Principali aut Viceprincipali expedire videbitur. Volumus, autem, ut dictis diebus, ibidem, per Socios in ministerio constitutos divina celebrentur officia, quibus omnes prædicti, secundum formam prædictam et sub prætaxatis pœnis, interesse tenebuntur. Insuper, statuimus, quod singulis diebus, sive festis sive profestis, omnes in eodem collegio commorantes, hora nona vespertina, precibus intersint in capella, et, facta diligenti inquisitione, si quis abfuerit scholaris vel baccalaureus in artibus, sine æqua causa vel non rogata venia, prima vice duodecim denariis multetator, secunda vice per septimanam communiis privator, tertia per mensem, quarta expellator. Statuimus etiam, quod omnes supradicti Socii et non Socii, diebus Dominicis et festis, sacras conciones, quæ in Universitate habebuntur, diligenter et assidue frequentabunt, et Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem ad eas pergentem comitabuntur, sub pœna

Daily prayers in the chapel in the morning.

Penalty for neglect of.

Prayers on Sundays and festivals.

Evening prayers.

Attendance at University sermons.

Digitized by Google

per ipsos vel eorum alterum imponenda. Volumus, etiam, quod omnes supradicti, cujuscunque gradus fuerint, concionibus ad clerum habendis, necnon publicis precibus in Academia celebrandis, aliisque divinis actibus et scholasticis exercitiis omnibus, habitibus ipsorum gradui competentibus, quoties statuta academiæ id exigunt, induti, intersint a principio usque ad finem, Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem, ut supra dictum est, illuc comitantes. Et quanquam de privatis precibus minus opus esse confidimus multa statuere, visum tamen est hanc regulam præscribere, ut nimirum baccalaurei et scholares omnes non graduati quotidie ubi surrexerint e lecto, flexis genibus, sic orent: "Pater noster, qui es in cœlis," &c. Deinde, hanc etiam orationem adjiciant: "Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui nos ad hujus diei principium deduxisti, tua nos hodie potentia serva, et concede ut hodierno die ad nullum declinemus peccatum, nec in ullum incurramus periculum, sed ad tuam justitiam colendam omnis nostra actio tua moderatione dirigatur, per Jesum Christum Dominum nostrum." Noctu item, antequam se somno dent, flexis genibus, hac utantur oratione: "O Pater veræ lucis, qui diem ornasti cœlesti luce, et noctem illustrasti splendoribus stellarum, quique in futuro sæculo requiem et lucem sempiternam electis tuis præparasti, illumina corda nostra cognitione veritatis tuæ, et conserva vitam nostram inoffensam; exhibe nobis ut in die honeste ambulemus, nocte pie quiescamus, et per te piis operibus reluceamus coram hominibus; ut tu, Pater noster, glorificeris, qui regnas in cœlis super omnia. Amen." Publicarum vero precum in capella dicendarum, intra horas quintam et sextam in aurora, hæc forma esto. Psalmi eo ordine et numero quotidie legantur quemadmodum in libro publicarum precum regni hujus distinguuntur, (hoc tantum observato, ut qui psalmi vespertinis precibus ibi destinantur secunda quaque aurora perlegantur) cum collectis in fine cujusque psalmi summam ipsius psalmi continentibus, una cum tribus his collectis subsequentibus; "Rogamus te, Domine Jesu Christe, ut afflati Spiritu verbum tuum audiamus et custodiamus, illoque admoniti, peccata nostra, quorum stipendium mors est, deplorantes, ad te, qui es vita et resurrectio, unum confugiamus: et, quia infinita pericula quotidie nos circumvallant, concede ut Spiritus gemitibus inenarrabilibus oret pro nobis ut oportet, quo redempti gratias tibi uni exhibeamus, per quem unum ad nos bona omnia deveniunt. Quid enim aliud nostra inopia poterit, quam petere a te, et gratiam habere tibi pro acceptis? Hic honor est cultus Novi Testamenti. Deinde, quia membra sumus corporis tui, et unumquodque suum usum habet, oramus diligenter, ut ad suam quisque vocationem spectet, ne nostrarum partium pertæsi, curiositate levi, quæ ad alios pertinent occupemus, aut ne potius

Private prayers.

Form of public morning prayers.

Digitized by Google

deprehendamur alienæ diligentiæ vituperatores, quam benefactis propriis navantes operam: neque oculus, utpote nobilior, viliores pedes præ se contemnat, neque manus cæcæ ac surdæ oculorum et aurium acrimoniam sibi et ignotam et non competentem vindicent ac dijudicent, sicut inferiores eos qui sunt majores libenter et perperam solent judicare: quin quisque quod ex vocatione faciendum sibi incumbit, id faciat sedulo: cui docendum, ad doctrinam capiendam apposite doctrinam moderetur: cui partes ministri competunt, is susceptæ provinciæ concinne respondeat: cui exhortandum alios, is exhortationi congruentia meditetur et agat: cui dandum aliis, is det simpliciter: qui præest, præsit solicite: qui facultates habet erogandas in pauperes, elargiatur hilariter. Non dissimiliter in vocationibus ad hanc vitam pertinentibus affecti simus; æquo animo suam quisque ferat conditionem, sive eum Dominus magistratum, sive etiam subulcum aut abjectius aliquod, agere jusserit. Nam tu, Domine æquissime, non muneris splendorem, sed obeuntis obedientiam consideras. Abunde fuerit ad tranquillandum animum, quod scimus placere tibi, Deo nostro, quod agimus, et præceptum esse a Domino, 'In labore vultus tui vesceris pane tuo. Ne sinas nos huic verbo immorigeros otio et luxu perire; neque nostra quæramus, sed quæ aliorum et quæ sunt Jesu Christi. Da nobis mutuam dilectionem, ut simus unanimes, similiter affecti, misericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut convitium convitio, sed, contra, benedicentes. Et quicquid ab aliis exspectamus, idem et nos præstemus vicissim, ut adimpleamus legem Christi. Amen."

Form of public morning prayers.

Pro Rege.

"Cum tua singulari et eximia providentia, Omnipotens Deus, hunc populum constitueris Regia potestate gubernandum, thesauros potentiæ tuæ ac omnium virtutum divitias ad Regem nostrum Jacobum,* ornandum largiter effundas, quo tibi perpetuo glutino fidei et justitiæ copuletur: unde carus gratiosusque omnibus ordinibus, quoscunque tibi placuerit subdere ejus imperio, et ab hostibus eos tueatur, et mandatis tuis cum pace ac tranquillitate obtemperare faciat; ut non solum in præsentia, sed æternum, cum ipsis apud te feliciter vivat, in ecclesia sinceram Evangelii doctrinam promoveat, et a grege Dominico vitia resecare studeat, in republica vero integra judicia procuret, sana consilia in deliberando habeat; ad honorem nominis tui cuncta illi felicissime procedant. Denique plebs tua, libertatem ab hostibus et a peccatis adepta, una cum ipso voluntati tuæ salutariter obsequatur; per Christum Dominum nostrum. Amen."

* "Carolum" in Lambeth MS.

Digitized by Google

Pro docilitate.

"Audi preces nostras, æterna Patris Sapientia, Domine Jesu, et qui etiam teneræ ætati docilitatis commodum addidisti, adde, quæso, ad naturæ propensionem auxilium gratiæ tuæ; ut literas ac liberales disciplinas citius perdiscamus, sed tuæ gloriæ servituras; quarum adminiculis adjuta, mens nostra plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse felicitatis humanæ summa est; utque ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum indies proficiamus ætate, sapientia, et gratia apud Deum et homines; qui vivis et regnas Deus, in consortio Patris et Spiritus Sancti, in æterna sæcula. Amen."

Dictas autem preces theologiæ baccalaurei et Magistri artium, suo quisque ordine, a senioribus incipiendo ad juniores, deinde a junioribus ad seniores recurrendo circulariter, ordiantur et legant, una cum reliquis; singulisque pro labore hebdomadatim duodecim denarii numerentur. Volumus, insuper, ut mensa ante cibum sumptum per precationem benedicatur, et post cibum gratiæ agantur, aliquo discipulorum voce præeunte, reliquisque omnibus præsentibus attente et devote audientibus et respondentibus. Forma hæc erit:

Prayers at meals.

Precatio ante cibum sumendum.

"Nos, miseri et egentes homines, pro cibo, quem ad alimoniam corporis sanctificatum nobis es largitus, ut eo utamur grati, tibi, Deus omnipotens, Pater cœlestis, gratias reverenter agimus; simul obsecrantes, ut cibum angelorum, verum panem cœlestem, verbum Dei æternum, Dominum nostrum Jesum Christum, nobis impertiaris; ut illo mens nostra pascatur, et per carnem et sanguinem ejus foveamur, alamur et corroboremur. Amen."

Post cibum precatio.

"Quandoquidem nos, Domine, donis tuis, omnipotens et misericors Deus, exsatiasti; effice, ut posthac quid per nos fieri aut secus velis, diligenter observemus, atque illud animo sincero effectum præstemus; per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen."

Vers. "Domine, salvum fac Regem."

Resp. "Et exaudi nos in die qua invocaverimus te."

"Deus, in cujus manu sunt corda regum, qui es humilium consolator, et fidelium fortitudo, et protector omnium in te sperantium, da Regi nostro Jacobo* populoque Christiano triumphum virtutis tuæ scienter colere, ut per te semper reparentur ad gloriam; per Christum Dominum nostrum. Amen."

* "Carolo" in Lambeth MS.

Digitized by Google

13.—*De scripturæ portione tempore pranaii legenda, et mora in aula non facienda, et silentio debito servando.*

Item statuimus, ordinamus et volumus, quod sit in dicto collegio unus, qui quotidie, hora prandii, partem aliquam sacræ scripturæ Veteris aut Novi Testamenti in aula publice et alta voce legat, utque eidem lecturæ omnes Socii et non Socii, sub silentio epulantes, diligenter et reverenter intendant; audientiamque hujusmodi lecturæ per verbositates, confabulationes, murmurationes, clamores, risus, aliosve tumultus, non impediant quovismodo. Volumus, etiam, quod nullus Sociorum vel scholarium dicti collegii vel commorantium [in eodem] a mensa recedat, nisi prius peractis publicis gratiarum actionibus aliisque dici consuetis, absque licentia Principalis vel Viceprincipalis, vel senioris in aula sedentis, petita et obtenta. Peractis vero illis, unusquisque scholarium ab aula, non longam ibidem faciendo moram, discedat, nec in aliquo alio loco infra præcinctum collegii diu deambulet, nisi extraneorum præsentia, aut alia rationalis causa, per Principalem vel Viceprincipalem sive ejus locum tenentem approbanda, aliter exposcat. Si quis præmissis, sive alicui eorum, contravenire præsumpserit, pro qualibet vice duodecim denariis mulctabitur, vel, si non sit adultus, virga corrigetur; et si sæpius in illa culpabilis fuerit, pœna juxta discretionem Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis, augebitur. Statuimus, etiam, quod quilibet Socius et scholaris, cujuscunque conditionis, sive graduatus sit sive non graduatus, et quilibet serviens in aula vel in coquina, hora prandii aut cœnæ, in aliis quam in præmissis delinquens, per discretionem Principalis aut Viceprincipalis, et, illis absentibus, Socii senioris in aula tum sedentis, mulctabitur, modo dictus senior sit Magister, baccalaureus, sive verbi minister: a quo tamen seniore mulctato, licebit, si nimis gravatum se existimet, ad Principalem, vel in ejus absentia Viceprincipalem, provocare; qui, re considerata, mulctam pro sua discretione moderabitur. Præterea, volumus quod quilibet baccalaurei et scholares dicti collegii, et commorantes in eodem, sermonem Latinum intelligentes, nullo alio idiomate loquantur in aula, cæterisque locis publicis infra præcinctum collegii prædicti, quam Latino, Græco aut Hebraico, nisi in præsentia extraneorum; sub pœna unius denarii quotiescunque post primam monitionem deliquerint infligendi, duorum denariorum quotiescunque post secundam monitionem culpabiles inveniuntur. Denique, volumus et ordinamus ut omnes scholares non graduati et servientes, exceptis Sociis, infra præcinctum collegii, in præsentia Principalis, Viceprincipalis, Magistrorum vel Magistri, nudato capite incedant; sub pœna Principalis vel Viceprincipalis arbitrio infligenda.

Bible reading at dinner.

Remaining in hall after meals.

Penalties.

Conversation in Latin, Greek, or Hebrew.

Uncovering in presence of Principal, Viceprincipal, or Masters.

Digitized by Google

14.—*De admissione scholarium qui non reputantur esse de collegio, et vulgo communarii appellantur et battelarii.*

Admission of commoners.

Quoniam non solum de scholarium electione, sed aliorum etiam, quos vulgo vocant "*Commoners*," admissione cavendum judicamus; statuimus et volumus quod Principalis vel, Principali absente, Viceprincipalis habeat potestatem admittendi dictos scholares, vulgo vocatos "*Commoners*," in dictum collegium, secundum capacitatem cubiculorum; præcaventes ut nullum scholarem hujusmodi in dictum collegium admittant, nisi quem crediderint esse honestum et aptum ad studendum, et qui habeat in suum tutorem unum ex Sociis dicti collegii, vel saltem alium aliquem ejusdem collegii non Socium, judicio Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis idoneum, qui pro suis expensis et mulctis respondebit: quodque penes eos sit pauperes scholares, quos vulgo battelares appellant, admittere, sumpta tamen ab iis prius cautione fidejussoria vel pignoraticia pro ipsorum expensis et mulctis, secundum eorum discretionem. Proviso, tamen, quod solus Principalis habebit potestatem admittendi servientes dicti collegii, modo ab iis fidejussores idoneos accipiat; ne dictum collegium aliquod damnum aut jacturam per eos patiatur. Volumus, etiam, quod omnes et singuli supradicti, habentes sedecim annorum ætatem jurabunt, ante suam admissionem, quod observabunt omnia dicti collegii statuta, ordinationes et injunctiones, quatenus personam eorum concernunt aut concernere poterunt. Proviso semper, ut commodum quod ex cubiculis, quæ dictis communa riis aut aliis non existentibus de collegio concedentur aut permittentur, exurget aut exurgere poterit, proveniet aut provenire poterit, in usum collegii totaliter cedat et convertatur: utque singuli communarii, in ipsorum admissione, aliquid, judicio Principalis et majoris partis Sociorum, gratitudinis nomine, in structuram, ædificationem et exornationem, dicti collegii conferant et largiantur, decrementaque hebdomadaria et reparationes necessarias, cum Principali, Sociis, et dicti collegii scholaribus, debita proportione sustineant et supportent, et summas super eos in dictos usus impositas bursario, temporibus per Principalem et majorem partem Sociorum assignatis, persolvant; quo de iis rationem reddere collegio, ad computum magnum aut alias, si ad id requisitus a Principali aut, eo absente, Viceprincipali fuerit, sine dilatione possit.

Admission of Battelers.

To be sworn to observe statutes.

Payments by commoners.

15.—*De disputationibus et aliis exercitiis domesticis.*

Disputations of students in dialectics.

Quia crebras disputationes multum ad eruditionis incrementum facere pro comperto habemus, statuimus, ordinamus et volumus, ut singulis diebus profestis, præterquam in tribus septimanis vacationis circa Nativitatem, septimana Pascatis, et proxime procedente Pascha, et hebdomada Pentecostes, singuli scholares, sive sint de collegio, sive in eo commorantes, qui dialecticæ

Digitized by Google

auditores fuerint, in aulam conveniant, atque ibidem bis quolibet die, videlicet, ii qui in superiori classe sunt ab hora decima ad undecimam, qui autem in inferiore collocantur ab hora quarta pomeridiana ad horam quintam, sophismata, vel problemata dialectica, rhetorica, physica aut moralia, inter se tractent et disputent: ita nimirum, ut unus, secundum vices et ordinem senioritatis, a majoribus incipiendo, singulis diebus prædictis, respondentis munere fungatur, argumenta vero cæteri proponant, eo ordine, qui, ad eorum tentandam et scientiam et diligentiam, prælectori aut censori si adfuerit maxime commodus videbitur. In his prælector, vel ejus sufficiens deputatus, a censore vel Viceprincipali approbandus, præsentes scholares eruditat, instruat, ac meliora, sicubi in argumentandi, respondendi, vel dicendi ratione hallucinatos deprenderit, suppeditet, vel ab aliis suppeditari faciat. Huic enim, ejusque deputato, sic, ut præmissum est, approbato, eam tribuimus auctoritatem, ut quemlibet dictorum scholarium suo arbitrio jubeat et cogat argumenta dissolvere, et quæ a cæteris dicta sunt recitare, necnon respondentis et aliorum solutiones explicare, ac de singulorum denique indole et eruditionis specimine periculum faciat. Quin et licere statuimus censori antedicto præfatas disputationes ante horam completam aliquando, ex causa rationabili, finire, et etiam, simili ex causa, easdem vel semel in hebdomada vel (modo id raro fiat) bis omnino remittere.

Superintendence by the Prelector.

Similiter, statuimus et volumus ut omnes et singuli artium baccalaurei, sive sint de collegio sive ex commorantibus in eo, singulis hebdomadis (exceptis vacationum temporibus) in aula dicti collegii conveniant, videlicet quoque die Mercurii profesto, mox a cœna; ibique duas integras horas, judicio censoris sui, delecta duo themata, vel e naturalis vel e moralis philosophiæ penetralibus, inter se publice et per vices vocent et [de iis] disputent, videlicet, uno respondente, et uno ex ordine cæterisque ad arbitrium et assignationem censoris opponentibus: omnes enim præfatos baccalaureos ad disputandum paratos esse volumus.

Disputations of Bachelors of Arts in philosophy.

Statuentes, insuper, ut ne quis Magisterii gradum suscipere permittatur [vel ad eum præsentari], nisi qui respondentis et opponentis partes in utraque philosophia toties per se quotannis obierit, quoties ipsius locus et ordo quæstionum, quem in ipsis delegendis censor præscribet, postulaverint. Quod tamen ita intelligi volumus, ut, ex consensu Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis, ubi aliqua necessitas impedierit ne vices suas observet, eas cum alio permutare possit. Ordo autem in respondendo et opponendo is observetur, quem inter theologos observandum assignabimus, excepto quod de duobus aliis præter opponentem priorem [oppositurus] statuetur.

Disputations necessary for taking a Master's degree.

Volumus, quoque, ut, quolibet die Jovis in termino, per vices, incipiendo a seniore, unus ex baccalaureis immediate post cœnam, quolibet vero die Sabbati unus ex scholaribus, finitis correc-

Declamations.

Digitized by Google

tionibus, declamationem memoriter habeat in thema aliquod per censorem delegendum, secundo semper declamatore contrariam ei partem sumente, qui prius de illo themate dixit. Ita si scholaris puer non fecerit, verberibus castigetur, sin adultus, vel privatione convictus vel multæ irrogatione; baccalaureus vero, si sic facere neglexerit, quadraginta denariis pro prima vice, et pro secunda sex solidis et octo denariis, puniatur; sed pro tertia, arbitratu Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis et majoris partis Sociorum. Insuper, statuimus, ordinamus et volumus, ut omnes [et singuli] theologiæ studio destinati (exceptis Doctoribus illius facultatis) ac philosophi etiam, modo artium Magistri sint, et tempus necessariæ suæ regentiæ excesserint, ab hora sexta ad octavam, qualibet quindena in termino semel, incipientes, videlicet, secundo cujusque termini die Sabbati, si festus non fuerit, unum aliquod thema theologicum, ex consensu Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis eligendum, in capella disputando, excutiant et tractent. In quo exercitio respondeat primo junior, et sic ascendatur ad seniores omnes, secundum ordinem senioritatis circulariter; ita tamen ut initio cujuslibet termini Michaelis semper incipiatur a maxime juniore. Opponat autem primo junior illi proximus ut prior opponens, secunda autem vice opponat qui priori respondebat, et respondeat qui priori opponebat; et sic deinceps. Præter opponentem priorem, duo ex prædictis theologiæ destinatis et Magistris artium, ordine senioritatis, incipiendo a maxime seniore, opponant etiam vel (ut loquuntur) replicent. His tempus conveniens assignet moderator; quod munus Principalis vel Viceprincipalis, vel aliquis alius ex Sociis per eorum alterum substituendus, obeat. Quilibet magis eliciendæ veritatis avidi sint, quam contentionibus aut verborum pugnis dediti. Volumus etiam, ut tam respondens quam qui contra disputabit, verbosa proœmia amputet, eaque tantum dicat quæ materiæ subjectæ commode respondent, atque ea omnia memoriter. His disputationibus omnes Socios et scholares dicti collegii et commorantes in eodem, exceptis servientibus, interesse, a principio usque ad finem, tenebuntur, ut quæ ad veram et sinceram religionem spectant, sæpius audiendo, intelligant et memoriæ commendent. Themata autem, quæ in singulis philosophiæ et theologiæ disputationibus in quæstionem vocabuntur, quovis die Lunæ proxime disputationis diem præcedente, palam in aliquo aperto capellæ loco, ad illud a Principali designato, proponantur et affigantur per eos qui illa septimana respondentis munere fungentur, ut sic quisque ad disputationes prædictas paratus instructusque veniat, nec cuiquam liceat ignorantiam prætexere. Quisquis autem per se in sua propria persona, et non per alium, omnia exercitia sibi per hæc statuta imposita, sive respondendi, sive opponendi, sive prælegendi, sive declamandi, perficiet. Qui necessariis et urgentibus negotiis, a

Penalties for neglect of.

Disputation in theology.

Attendance at disputations.

Publication of themes.

Personal performance of exercises.

Digitized by Google

Principali, aut, eo absente, Viceprincipali, et suæ facultatis moderatore aut censore, approbatis, aut aliquo morbo, impediti, a suis muneribus avocabuntur, curabunt ut alius quisquam sui ordinis ex Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis, et moderatoris aut censoris, assensu, vices eorum suppleat; ita tamen ut iidem, cum ab itinere revertentur aut convalescent, similia exercitia illius loco peragant. Volumus, etiam, ut omnes a principio ad finem usque tum suæ facultatis disputationibus tum theologicis intersint, nisi venia a suo moderatore, censore aut prælectore, impetrata. Absens puer verberibus castigetur, scholaris annosior, pro arbitratu censoris, vel privatione convictus ad tempus, vel mulctæ irrogatione, puniatur; vel in aula communi, certo quodam die a censore constituto, finito prandio aut cœna, publice declamet; thema illi censor quoque designabit. Baccalaurei absentes notentur a censore, et duplicata pœna, quæ in absentes a publicis precibus est constituta, puniantur. Absens theologus, nisi venia a Principali aut, eo absente, Viceprincipali vel suo moderatore, impetrata, primum quatuor denariis, secundo et tertio, et sic deinceps, judicio Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis et moderatoris, mulctabitur. Si quis vel ex philosophis vel ex theologiæ studio destinatis vices suas in respondendo vel opponendo ut prior opponens per se vel alium non observaverit, pro qualibet vice sex solidis et octo denariis mulctabitur; qui vero replicare per hoc statutum ordine senioritatis astringuntur, nisi sic fecerint, convictus privatione per unam hebdomadam puniantur. Proviso semper, quod, juxta numerum theologiæ aut philosophiæ studio destinatorum et etiam scholarium, numerus quoque disputationum et aliorum exercitiorum prædictorum, pro arbitrio Visitatoris, e tempore in tempus, poterit vel augeri vel minui, hoc statuto non obstante. Proviso etiam, quod si justa causa intercesserit, Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis, si adfuerit, alioquin moderator in theologia theologicas, et censor philosophiæ philosophicas, disputationes ante spatium duarum horarum plene finitum terminare poterit.

Attendance at disputations.

Penalties.

Increase or diminution of number of exercises.

16.—*De catechismo.*

Ut semina jaciantur, unde segetes exoriri possint, statuimus, ordinamus et volumus, ut semper in dicto collegio per Principalem et Socios quotannis eligendus sit unus ex magistris gravioribus, necessariæ suæ regentiæ tempus egressus, qui catechismi (id est) symboli apostolici, orationis Dominicæ, decalogi, sacramentorum et potestatis clavium, vel triginta novem Articulorum, explicationem fideliter tractabit, percurret, et, eo ordine qui erit a Principali assignatus et constitutus pro maxima commoditate auditorum, absolvet, si poterit. A quo munere, si quis aliquo impedimento, per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem approbando, avocetur, is curabit ut, ex consensu

Exposition of the catechism.

Digitized by Google

Principalis, alius idem munus suo loco obeat. Hæc quisquis non observaverit, prima vice unius septimanæ convictu ipso facto privatus esto; secunda quindenæ; tertia mensis; quarta, a collegio in perpetuum amoveatur. Hora huic explicationi patrio sermone habendæ constituta erit sexta antemeridiana, quolibet die Jovis in pleno termino, locus capella dicti collegii; eidem intersint baccalaurei primi et secundi anni, scholares et servientes omnes, cujuscunque status et conditionis. Absentes et tardius venientes, puniantur ad minimum ac si sanctis precibus abfuissent aut tardius ad eas accessissent.

17.—*De vestibus et indumentis.*

Of dress.

Quia cupimus omnia decenter et secundum ordinem fieri, statuimus, ordinamus et volumus, quod Principalis, Socii et scholares, dicti collegii nullis indumentis aliis, neque propter materiam, neque propter formam, neque propter colorem, vel infra collegium vel extra alicubi in hoc regno, utantur, quam quæ decentia et ipsis, juxta statuta Universitatis et discretionem Principalis et Viceprincipalis, convenientia fuerint; quodque nullus eorum comam inordinate nutriat, vel eam in collo vel fronte aut alia corporis parte nimis protensam habeat; vel extra collegii præcinctum, vel infra Universitatis ambitum, pallio, nisi devillando aut redeundo, aut ex alia causa per Principalem et Viceprincipalem approbata vel approbanda, utatur. Et si quis in præmissis seu aliquo eorum culpabilis seu transgressor inveniatur, et super eo convictus fuerit, quod prima vice octo denariis, pro secunda viginti, pro tertia quadraginta mulctetur; quod si quarto sic deliquerit, aut rebellis aut obstinatus extiterit, a collegio amoveatur. Similiter quoque cum iis agi volumus, qui in collegio degentes non sunt de corpore Collegii, sed ad communias cum Sociis et scholaribus in aula participandas, vel ad battellandum, admittuntur.

Penalties.

18.—*De senescallo communi aulæ.*

Of the Senescchal of the hall, and his duties.

Item statuimus, ordinamus et volumus, quod pro qualibet septimana unus dicti collegii Socius, seriatim in ordine suo, sit victualium omnium pro illa hebdomada emendorum supervisor, qui senescallus aulæ vocabitur. Hujus erit parcellas omnium et singulorum emptorum, provisionum et expensarum quarumcunque ad communias spectantium, pro septimana illa, scribere vel scribi procurare; et cibaria Principali, Viceprincipali, Sociis et scholaribus, dicti collegii, et aliis in aula communi sedentibus, administrare, et ad singulas mensas suas communias iisdem apponere; et cum bursario et obsonatore, coram Principali vel Viceprincipali, seu ejus locum tenente, post finem cujuslibet septimanæ, videlicet, die Veneris post prandium, si commode fieri possit, vel si non possit die Sabbati immediate sequente, fidelem computum de omnibus emptioni-

Digitized by Google

bus, provisionibus et expensis, sigillatim, qualibet die factis, reddere, sub pœna amissionis viginti denariorum, in usum collegii convertendorum. Quod quidem onus quemlibet Socium sic, ut præmittitur, assumere in se et sua vice subire, et eodem vel per se vel per alium in prædictis omnibus defungi, volumus; exceptis Viceprincipali, Doctoribus, et in sacra theologia baccalaureis, et (qui pro tempore fuerit) bursario. Proviso quod graduati non Socii, quos Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis idoneos ad dictum munus exequendum censebit, quoties expedire videbit, ad dictum munus suscipiendum arctari sub pœna proxime memorata poterint.

19.—*De augmentatione fundorum ac redditum; et de beneficentia piorum quorumcunque, redditus annuos sive fundos donare volentium, acceptanda et celebranda.*

Quia dicto collegio de fundis et annuis redditibus, quibus Socii et scholares ejusdem de tempore in tempus alantur et sustinentur, minime adhuc provisum est, et idcirco magnopere opus habet beneficentia et liberalitate piorum hominum, quorum auxilio quod in eo recte inchoatum est ad suam perfectionem perducatur: statuimus, ordinamus et volumus, quod dicti collegii Principali et Sociis, sive Principali et majori parti Sociorum, fundos et annuos redditus quoscunque a piis et religiosis hominibus, commodum, sustentationem sive augmentationem, dicti collegii vel Sociorum promovere ullo modo cupientibus, sub conditionibus quibuscunque, (modo dictæ conditiones nec verbo Dei, nec legibus regni, nec donationibus aliorum benefactorum, nec statutis collegii, in ulla alia re quam patriæ alicujus, aut prosapiæ sive cognationis, aut facultatis, limitatione vel præscriptione, sint repugnantes) acceptare et recipere licebit, donec dicti collegii redditus ad summam sexcentarum librarum annuariam excreverint, seu ad eam præterea summam, ad quam Regia Majestas vel ejus successores ipsis terras et fundos accipere sive perquirere ex ulteriori sua gratia concesserit. Et quo donatores hujusmodi redditiuum et fundorum a Principali et Sociis et eorum successoribus gratioribus animis et honorificentiore memoria perpetuis futuris temporibus recolantur et celebrentur, volumus quoque et ordinamus ut duo libri, affabre et pulchre compacti, per Principalem et Socios sumptibus collegii quam primum provideantur; et alter in archivis dicti collegii, alter in cubiculo Principalis intra ambitum collegii, donec extructa bibliotheca fuerit, post vero in bibliotheca, asservetur. In quibus quidem libris et utroque eorum volumus omnium hujusmodi donatorum et benefactorum nomina, dignitates, patriam, donationes, donationum valores, usum in quem donatæ sunt, distincte, concinne, et omni meliore modo et ordine, intra mensem post donationem aliquam factam et acceptam, describi. Statuentes, præterea, ut, convoca-

Power to accept donations of rents, &c.

Registration of benefactions.

Digitized by Google

Public reading out of names of benefactors, &c., with thanksgiving and oration.

tis omnibus dicti collegii Sociis et scholaribus in capellam, die festi Sancti Michaelis proxime precedente, statutum hoc, cum nominibus et dignitatibus, patria, donationibus, et cæteris præfatis, coram iis legantur, subsequentibus solenni gratiarum actione et oratione adhortatoria, ut quisque eorum pro viribus quam maxime contendat se reipublicæ et ecclesiæ tantis beneficiis dignum probare. Hanc autem orationem ab aliquo Sociorum per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem, ante festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ, assignando, adhibitis prius per eundem convenienti studio et diligentia, haberi ordinamus, sub pœna viginti solidorum, in pauperes distribuendorum.

Donations of books, plate, &c.

Denique, si qui libros in bibliothecam, aut vasa argentea aut aurea in publicum [collegii usum] contulerint, aut partem ejusdem aliquam suis sumptibus ædificaverint, aut omnino ullam pecuniæ summam, in finem aliquem collegio utilem, Principali et Sociis donaverint aut legaverint, eorum nomina, cum dignitatibus et cæteris superius specificatis, in dictis libris, eo quo dictum est modo, conscribi volumus.

Form of the thanksgiving.

Forma autem gratiarum actionis antememoratæ hæc sit. Primum recitetur clara voce "Pater noster," &c. Anglice; deinde decantentur similiter hi tres psalmi, videlicet, 144, "Exaltabo te, Deus, meus Rex;" 145, "Lauda, anima mea, Dominum;" 146, "Laudate Dominum, quoniam bonus est." Post hæc legatur caput 44 Ecclesiastici: et tum habeatur oratio adhortatoria prædicta, in qua eximia fundatorum et benefactorum munificentia prædicetur, quantusque literarum sit usus, quantis laudibus afficiendi sunt qui literarum studia sua beneficentia excitant, quantum sit ornamentum regno doctos viros habere, qui de rebus controversis vere judicare possunt, quanta sit scripturarum laus, et quantum illæ omni humanæ auctoritati antecedant, quanta ejus doctrinæ in vulgus utilitas, et quam egregium et regium sit (cui Deus universæ plebis curam commisit) multitudine ministrorum verbi prospicere, atque ut hi honesti et eruditi sint curare, ostendatur; vel alia ejus generis, quæ pii et docti viri cum laude illustrare possint. Quibus finitis, decantetur psalmus vulgariter dictus "Te, Deum" Anglice: quoque, ad extremum adjiciatur sequens precatio, cum versibus istis et responsionibus; "The fame of the righteous shall endure for ever." *Resp.* "And shall fear no evil report." *Vers.* "The Lord be with you." *Resp.* "And with thy spirit." *Orat.* "We praise and thank thee, O Lord, for thy servant, Elizabeth, Queen of England, our founder, and other our benefactors; humbly beseeching thee that, as they have charitably bestowed thy gifts to our relieſe, so both we may frutefully use them to their due end, and others by such examples may be moved to provide for the maintaining of good learning, so that thy church may be plentifully furnished with true preachers and disposers of thy Holy word and sacraments, and the commonwealth well serv'd in all necessities with godly and learned ministers, that

Digitized by Google

we and all our posterity may enjoy sincere religion and just government, and praise thy name for ever."

20.—*De possessionibus non alienandis, et de beneficiis, maneriis et tenementis, ad firmam dimittendis.*

Alienation of lands, &c.

Item statuimus, ordinamus et volumus, quod maneria, terræ, tenementa, redditus, advocationes, patronatus ecclesiarum, arcæ bosci, seu terra in qua bosci crescunt, prata, pascua vel pasturæ, seu alia dicti collegii bona immobilia quæcunque, sive sint spiritualia sive temporalia, aut etiam mixta, nullo unquam tempore in feodum vel ad terminum vitæ vel vitarum alienentur seu impignorentur; quodque nec maneria ulla ultra terminum viginti annorum, nec ecclesiæ appropriatæ ultra terminum decem annorum, ad firmam vel alio modo tradantur seu dimittantur. Permittimus, tamen, ut ejusmodi terræ, tenementa, messuagia, et tenuræ quæcunque, cum eorum pertinentiis, tam in civitatibus et villis quam maneriis et ecclesiis iis appropriatis, et aliis locis quibuscumque ad dictum collegium qualitercunque spectantibus, quæ ad manus prædictorum Principalis et scholarium, per escaetatem aut defectum hæredum vel tenentium vel alium similem modum quemcunque, devenerint, concedi vel tradi possint per copias rotulorum curiarum, pro finibus idoneis, juxta consuetudinem omnium ejusmodi manceriorum in ea parte antiquitius usitatam; modo fiat ex consensu Principalis et majoris partis Sociorum.* Pensiones vero annuas aut corrodia aliqua nullo modo Principali et Sociis dicti collegii (uno tantum feodo quadraginta solidorum perito in legibus regni, pro impendendo consilio suo, solvendorum excepto) licebit cuiquam dare vel concedere, nec ad alia onera spiritualia vel temporalia dictum collegium in perpetuum, vel ad terminum vitæ vel vitarum, vel supra terminum viginti annorum, quovismodo obligare, nisi redditus, terras aut possessiones, ad hujusmodi onera supportanda sufficientes, eo respectu ad usum collegii receperint; quo etiam casu, volumus ut consensum Visitatoris primitus procurent, alioqui non facturi. Item, ne beneficia ad publicos usus destinata in privatum aliquorum commodum convertantur, volumus, ordinamus et statuimus, ut fines omnes et pecuniarum summæ, quæ in locationibus maneriorum, terrarum, tenementorum, aliquarumque possessionum dicti collegii solventur aut dabuntur, in dicti collegii utilitatem, (excepta solum quarta parte earundem) omnino et totaliter cedant, [et ?] in ærarium ejusdem continuo reponantur, nullo unquam tempore interPrincipalem et Socios aut ullos eorum dividendæ. Cui nostræ ordinationi si quis ex prædictis contravenerit, aut communiter vel privatim quicquam respectu alicujus concessionis præfatarum possessionum faciendæ vel factæ, præter

Term of leases.

Copyhold tenures.

Annual pensions, corrodies, &c.

Application of receipts from fines.

* "Seniorum" in Lambeth MS.

Digitized by Google

dictam quartam partem, et illud quod pro sigillatione concessionum pendetur, acceperit, si de eo legitime convictus fuerit, a dicto collegio confestim amoveatur. Quod autem pro sigillatione accipere eos in commune permittimus, summam quadraginta solidorum excedere nolumus; ne quis sibi de commodo collegii detrahere licere, quo suum augeat, putet. Fines vero et summas pecuniarum pro locationibus et concessionibus prædictis pendendas volumus esse tales et tantas, quales et quantas bonus paterfamilias et prudens rerum suarum dispensator judicaret; super quo cujusque eorum, qui concessionibus prædictis faciendis intererunt et suffragia ferent, conscientiam oneramus.

Amount of fines.

21.—*De sigillo collegii communi.*

Of the common seal.

De sigillo collegii communi statuimus, ordinamus et volumus, ut in cista tribus seris munita asservetur, et in thesauraria, nisi quando usus collegii publicus aliud postulaverit, perpetuo remaneat; nec ad ulla alia negotia inde extrahatur aut usurpetur, nisi ad ea quæ per Principalem et majorem partem Sociorum decernentur sigillanda. Dictarum autem serarum unam clavem custodiat Principalis, alteram Viceprincipalis, tertiam senior Socius [in Universitate præsens], modo nec sit Viceprincipalis illo anno nec bursarius; ita tamen, ut fas non sit cuiquam eorum usum clavis suæ ad sigillanda ea quæ Principalis et major pars Sociorum in Universitate præsentium, ex assensu Principalis, decreverint sigillanda, denegare, licet ipse in faciendo ejusmodi decreto cum reliquis non consenserit. In hujus autem sigilli parte altera sculpi volumus imaginem Jesu sospitatoris nostri, cum hac inscriptione, "Sigillum collegii Jesu infra civitatem et Universitatem Oxoniæ, ex fundatione Reginæ Elizabethæ;" in altera vero, Reginæ dicti collegii fundatricis, cum hac inscriptione, "Elizabetha, Dei gratia, Angliæ, Franciæ et Hiberniæ, Regina, fidei defensor, &c.," vel quantum ambitus ejus commode capere potest. Si quis vero ex clavium custodibus proficisci aliquo extra Universitatem, et abesse a collegio, sibi per duos pluresve dies necesse esse viderit, volumus et statuimus ut, ex consensu Principalis aut, eo absente, Viceprincipalis, clavem suam apud aliquem Sociorum relinquat, donec ipse redierit. Proviso, quod nemo simul duas dicti sigilli claves custodiat aut custodire permittatur.

22.—*De tempore assumendi gradus.*

Of taking degree of Bachelor in Arts.

Cupientes ut operarii et bene meriti ad altiora provehantur, torpentes vero et desides abigantur aut inglorii relinquantur, statuimus, ordinamus et volumus, ut dicti collegii scholares, postquam quatuor annos integros in dialecticis, rhetoricis, et linguis Latina et Græca, se se diligenter exercuerint, atque ea quæ

Digitized by Google

leges Academiæ pro illo gradu exigunt laudabiliter peregerint, tunc gradum baccalaureatus in artibus, si Principali et majori parti Sociorum ita visum fuerit, suscipere possint. Quo autem melius dicti Principalis et Socii de illorum in literis progressu judicare valeant, volumus ut, priusquam ipsis liberum fiat gratiam in Universitate petere, ostendant Principali et Sociis se Evangelium Divi Lucæ posse Græce construere, scribantque singuli brevem summam Aristotelicorum, vel Topicorum vel Posteriorum, vel Elenchorum, eisdemque inspiciendam et examinandam exhibeant; quæ nisi sic fecerint, ut propterea merito laudari debeant, tum a petenda dicta gratia pro illo anno repellantur; et nisi in proximo sic se emendaverint, ut in omnibus digni præfato gradu judicentur, penitus a collegio tanquam non proficientes amoveantur. Baccalaurei vero artium, postquam in hoc gradu triennium steterint, et determinationes et formas publicas ad gradum Magisterii requisitas, et in Universitate haberi consuetas, laudabiliter impleverint, necnon domi intra privatas parietes lectiones constitutas audierint, et in studiis linguarum et philosophiæ tam naturalis quam moralis, et rhetorica, profecerint, disputationes item et similia excercitia diligenter peregerint; tunc, si a Principali et majori parte Sociorum tam pro moribus quam eruditione apti et idonei censebuntur, intra tres menses proxime secuturos, absque ulteriore dilatione, artium Magistri creentur; verum, ante exactum tempus in his statutis limitatum, nolumus ut quisquam vel baccalaureatus vel Magisterii gradum suscipere, vel ad alterum eorum præsentari, nec baccalaureus ultra sex septimanas ante determinationes fieri, permittatur, licet gratiam aut dispensationem de temporis præfati remissione aut diminutione ab Universitate obtinuerit. Qui autem Magisterium in artibus suscipere per eruditionem possunt, et per annorum numerum debent, summam aliquam moralis aut naturalis philosophiæ Latine confectam, cum præfatione aliqua vel epistola in eandem Græce conscripta, Principali aut, eo absente, Viceprincipali, antequam ad illum gradum accipiendum admittantur, exhibeant. Qui hæc non fecerit, ad Magisterium in artibus ne promoveatur: et si, intra anni spatium proxime sequentis, ea quæ ad istum gradum necessario per [statuta] ista in hac parte requiruntur non præstiterit, tum velut non proficiens a collegio amoveatur. Artium quoque Magistri omnes et singuli, tempore necessariæ suæ regentiæ completo, statim ad sacram theologiam se divertant; eidem tam diligentem exinde operam dantes, ut, septimo post gradum Magisterii adeptum anno, ad baccalaureatum in theologia, et exinde ante quartum annum a suscepto illo gradu ad gradum Doctoris in eadem facultate, admittantur, sub pœna amotionis a collegio in perpetuum, nisi, ex causa rationabili, per Principalem et majorem partem Sociorum tempus cuiquam prorogandum videatur, aut aliter ab

Degree of Master of Arts.

Masters of Arts to take degrees in divinity.

Digitized by Google

iis dispensatum fuerit. Sed in baccalaureo theologiæ tempus ultra octavi anni finem prorogare nolumus, nec vel cum ipsis vel cum Doctoribus præfatis pro solennioribus actibus scholasticis, ad adeptionem graduum illorum per statuta Universitatis requisitis, ullo modo dispensari.

23.—*De tempore suscipiendi sacros ordines.*

Time of taking holy orders.

Item, quo dicti collegii Socii de fine ad quem præcipue destinati sunt citius admoveantur, et majorem occasionem habeant cogitandi de vita et moribus suis ad divinam voluntatem componendis, statuimus, ordinamus et volumus, ut Magistri artium, ante completum sextum a gradu Magisterii suscepto annum, sacrum diaconatus ordinem suscipiant, et ante completum proxime sequentem annum (id est) a suscepto gradu antedicto septimum, ad sacrum presbyteriatus ordinem se promoveri faciant. Quæ si quis eorum, prout oportet, non fecerit, vel ante quatuor dictum sextum annum [expletum] immediate sequentes, non, ostensis Principali literis testimonialibus de suscepto diaconatus ordine, se intra præscriptum sibi tempus diaconum factum, vel ante quinque dies dictum septimum annum expletum immediate sequentes, non, ostensis similiter Principali vel, eo absente, Viceprincipali literis testimonialibus de suscepto presbyteriatus ordine, se intra præstitutum sibi tempus presbyterum factum, probaverit, a dicto collegio amoveatur.

Expulsion for not taking holy orders.

24.—*De absentia Principalis et Sociorum.*

Absence of Principal.

Quia nolumus Principalem, Socios, aut scholares prædictos, neglectis studiis aut regimine dicti collegii, ad libitum evagari, statuimus, ordinamus et volumus, quod Principalis dicti collegii, imposterum eligendus seu admittendus, ultra mensem in pleno termino nullatenus se absentet, præterquam in negotiis collegii, nisi causæ suæ absentiæ discretioni majoris partis Sociorum in Universitate tunc præsentium videantur approbandæ, et infra tres menses de facto approbetur: cujus contrarium si fecerit, eo facto suo officio sit privatus. Proviso semper, quod in magna tamen vacatione per duos aut tres menses illi abesse licebit, prædicta ordinatione non obstante. Sociorum vero nemini licere volumus in pleno termino ultra duas hebdomadas abesse, sub pœna expulsionis perpetuæ a dicto collegio, nisi causa suæ absentiæ per Principalem vel, eo absente, Viceprincipalem et Socios graduatos, vel majorem partem eorundem, approbetur. In causa vero minoris absentationis, Principali, et, in ejusdem absentia, Viceprincipali, potestatem facimus dispensandi. Et tamen, in magna vacatione, concedimus cuilibet Socio dicti collegii liberam facultatem se absentandi per quadraginta dies naturales; ita ut [ultra] sexaginta dies continuos sive discontinuos, non computato die quo recessit, nec die quo redibit, nullus Socius in uno eodemque anno se absentet, nisi ejus causa modo

Absence of Fellows.

Digitized by Google

prædicto approbetur. Hujusmodi vero annum incipere volumus immediate post magnum computum bursarii seu bursariorum, si plures fuerint; quem quidem, et electionem omnium officiariorum, fieri volumus inter principium mensis Novembris et finem ejusdem. Proviso quod, omni tempore, volumus ut Socii dicti collegii discreti in eo permaneant, pro rebus et bonis ipsius collegii conservandis, judicio Principalis et seniorum Sociorum nominandi et deputandi. Pro quorum communiis, prandiis, et aliis necessariis, etiam communes servientes in ipso collegio remanere volumus. Ordinamus, etiam, quod nullus dicti collegii Socius vel non Socius, ex quavis causa in patria existens, coquum, obsonatorem, aut alium servientem vel alios servientes ex sumptibus collegii viventes, secum habeat. Proviso, quod nullus Socius aut scholaris dicti collegii se absentet, absque licentia Principalis vel Viceprincipalis petita et obtenta, sub pœna sex solidorum et octo denariorum. Volumus, tamen, quod Principalis aut Viceprincipalis in hujusmodi licentia concedenda non se præbeat difficilem, nisi ex causa per ipsum et Socios præsentes in Universitate, vel majorem partem eorundem, approbanda. Proviso, etiam, quod nullus Sociorum aut scholarium dicti collegii infra præcinctum Universitatis Oxoniæ extra collegium pernoctet, nisi ex licentia Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis; sub pœna duorum solidorum pro prima vice, et pro secunda vice quatuor solidorum, et pro tertia sex solidorum et octo denariorum; et si quarto deliquerit, volumus ipsum omnino expelli. Similiter, nullus eorum ultra duas refectiones continuas se absentet a collegio, nisi licentia Principalis vel, in ejus absentia, Viceprincipalis petita et obtenta, sub pœna quatuor denariorum.

Commencement of a year.

Taking servants out of the College.

Asking leave of absence.

Passing the night out of College.

25.—*De pace inter Socios et non Socios observanda.*

Quia omnes Christiani pacem summopere colere debent, præcipue ii qui sunt in eadem domo, statuimus, ordinamus et volumus, quod si quis non Socius aliquem non Socium infra præcinctum collegii prædicti violenter percusserit, si id sit pugno, manu, pede, vel quovis alio instrumento corporis, tribus solidis et quatuor denariis; quod si baculo aut alio instrumento artificiali sive consimili telo aliquem prædictorum percusserit, et hoc citra sanguinis effusionem, sex solidis et octo denariis; si vero usque ad sanguinis effusionem, tredecim solidis et quatuor denariis mulctabitur. Quod si quis non Socius aliquem Socium violenter percusserit, primo modo prædicto, sex solidis et octo denariis, si secundo modo, tredecim solidis et quatuor denariis, sin vero tertio modo, viginti solidis, mulctabitur. Consimili modo quemlibet Socium puniri volumus si aliquem Socium aut non Socium dicti collegii violenter percusserit: volumus, etiam, quod præter pœnas prædictas semper fiat satisfactio parti læsæ, judicio Principalis et Viceprincipalis. Statuentes, præterea,

Penalties for striking non-Fellows and Fellows.

Digitized by Google

Opprobrious language.

quod si aliquis prædictorum aliquod verbum opprobriosum alteri objecerit, vel de altero dixerit, unde verisimile sit quod contentio sive briga sit oritura, duodecim denariis mulctabitur; quæ summa, si causa postulaverit, secundum discretionem Principalis aut Viceprincipalis augeri poterit. Quod si aliquis scholaris non Socius, post trinam monitionem per Principalem aut Viceprincipalem factam, in studio literarum negligens repertus fuerit; vel si homicidium, furtum, rapinam, adulterium, perjurium, sacrilegium vel simoniam, commiserit, vel aliam quamvis notam turpitudinis (quod absit!) incurrerit; aut si fuerit noctivagus, vel scandet muros dicti collegii, aut aliud grave crimen perpetraverit, unde non mediocre scandalum in dicto collegio vel extra suscitari poterit; aut si quis eorum rixosus aut jurgiorum inter Socios vel scholares suscitator creber extiterit; a collegio prædicto amoveatur. Si vero de aliquo prædictorum probabiliter secundum judicium Principalis sit suspectus, tunc Principalis injungat ei purgationem, adigatque ad inducendum, si graduatus fuerit, duos graduatos, sin scholaris, duos scholares vel graduatos, dicti collegii de tali delicto non suspectos, qui jurabunt, tactis per ipsos et ipsorum quemlibet sacrosanctis Dei Evangeliis, quod credant delictum (de quo sit suspicio) ipsum non commisisse, sed suspectus simpliciter quod illud non commisit. In qua purgatione si defecerit, eum a collegio expelli volumus. In levioribus autem delictis, excessibus, et criminibus sive suspicionibus, leviori modo et secundum commissi et delicti qualitatem per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem procedatur, adhibita nunc unica, nunc altera, et quandoquidem etiam trina admonitione, partim privatim partim coram testibus, vel uno, vel, si opus fuerit, pluribus. Si vero aliquem non Socium incurabili morbo vel contagioso, ut lepra vel consimili (quod absit!), infici contigerit, ne cæteri læsionem vel infectionem per eum patiantur, quamprimum a collegio prædicto amoveri volumus. Item, statuimus quod nullus dicti collegii Socius, scholaris vel serviens, quenquam dicti collegii in quacunque causa injuriarum coram aliquo magistratu implacitare aut convenire præsumat, nisi licentia per Principalem vel, eo absente, Viceprincipalem prius concessa, sub pœna expulsionis.

Causes for expulsion of scholars.

Purgation, on suspicion.

Lighter offences.

Prosecutions for injuries.

26.—*De armis non portandis, et de impedimentis studii removendis.*

Carrying weapons.

Cum arma potius militem quam scholarem deceant, statuimus, ordinamus et volumus, quod nullus graduatus vel scholaris dicti collegii, Socius vel non Socius, arma quæcunque, offensiva seu defensiva, infra Universitatem deferre præsumat, publice vel occulte, nisi devillando aut redeundo, aut ex alia causa per Principalem aut, eo absente, per Viceprincipalem et duos Seniores approbata vel approbanda. Statuimus, præterea, quod nullus

Digitized by Google

Sociorum aut scholarium vel servientium dicti collegii, vel commorantium in eo, aut taxillos, aleas, aut pictas chartas, ludat, aut aliquem alium ludum noxium, inhonestum vel illicitum, infra dictum collegium vel alibi infra Universitatem, exerceat quovismodo. Permittimus, tamen, quod tempore Natalis Domini pictis chartis ludere, vel alium ludum honestum, secundum judicium Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis, publice in aula exercere, possint. Si quis autem huic statuto, aut alicui particulæ ejusdem, contravenire præsumpserit, cujuscunque gradus aut conditionis fuerit, pro prima vice octo denariis, pro secunda vice sedecim denariis, et pro tertia vice, si super hoc convictus fuerit, sex solidis et octo denariis, mulctabitur. Et si deinceps in ea parte culpabilis repertus fuerit, juxta discretionem Principalis, vel, eo absente, Viceprincipalis, et majoris partis Sociorum in Universitate existentium, graviori pœna puniatur, vel, si incorrigibilem se ostenderit, per eosdem a collegio amoveatur. Volumus, etiam, quod nullus Sociorum aut scholarium sive servientium dicti collegii, aut degentium in eo, aliquem canem vel avem qualemcunque, seu aliud animal quodcunque, infra dictum collegium vel extra, ad damnum seu detrimentum collegii, sive ad nocumentum, inquietationem aut perturbationem, alicujus Sociorum vel scholarium ejusdem, nutriat seu custodiat, aut etiam cantu, clamore, vociferatione, instrumento musico, aut quovis genere tumultus, Socium aut scholarem quemcunque dicti collegii, quo minus studere aut dormire valeat, quoquo modo impediat, sub pœna a Principali vel, eo absente, Viceprincipali ad arbitrium infligenda.

Games of dice, cards, &c.

Penalties.

Keeping dogs or birds, or hindering study by noises.

27.—*De concordia Sociorum et non Sociorum in electionibus officiariorum Universitatis.*

Quia scholares dicti collegii cupimus non tantum inter privatos parietes esse concordes, sed etiam foris in electionibus consentientes; ideo statuimus, ordinamus et volumus, ut, in omni electione officiariorum publicorum Universitatis, candidatus domesticus extraneo, et inter domesticos Socius non Socio, votis suffragantium præferatur, sub pœna quadraginta solidorum in eum qui contra fecerit, per Principalem vel, in ejus absentia, Viceprincipalem infligenda.

Elections of University officers.

28.—*De Portis et Ostiis claudendis.*

Item, statuimus, ordinamus et volumus, ut omnia ostia et portæ dicti collegii immediate post horam nonam sub noctem, per janitorem claudantur et obserentur, clavesque ad Principalem vel, ipso absente, Viceprincipalem deferantur, sub pœna duodecim denariorum; et ne iterum aperiantur ante horam quintam diei subsequentis, nisi ex aliqua causa rationabili, per Principalem vel, eo absente, Viceprincipalem approbanda, sub pœna prædicta. Et si quis Sociorum vel non Sociorum dicti collegii,

Closing gates and doors.

Digitized by Google

vel commorantium in eodem, post horam prædictam portam dicti collegii pulsaverit, sex denariis mulctabitur, vel alio modo, Principalis aut Viceprincipalis arbitrio, corrigetur.

29.—*De Principalis, si opus fuerit, amotione.*

Cum, propter Principalis negligentiam aut vitæ inhonestatem, dicto collegio dispendia et grave scandalum imminere possint, statuimus, ordinamus et volumus, ut dictus Principalis, qui pro tempore fuerit, propter dilapidationem seu alienationem terrarum, tenementorum, redditiuum, possessionum, spiritualium seu temporalium, aut destructionem seu alienationem illicitam bonorum et rerum dicti collegii, propter incontinentiam gravem, homicidium voluntarium, aliamve causam consimilem quamcunque ipsum irregularem reddentem vel aliter inhabilem, necnon propter infirmitatem contagiosam incurabilem, cujus occasione officium suum prædictum non poterit absque gravi scandalo exercere aut occupare, ab officio, in hunc qui sequitur modum, amoveatur. Ubi igitur de aliquo præmissorum Viceprincipali, bursario, et censori philosophiæ dicti collegii, vel majori parti eorundem, constiterit, vocati in aulam ad horam præfixam huic negotio per Viceprincipalem, ex assensu cæterorum Sociorum officiariorum vel majoris partis eorundem, convenient omnes Socii in Universitate tum præsentes; et, exposita causa cœtus illius, Viceprincipalis statutum hoc, cæteris omnibus cum silentio audientibus, distincte et clare leget, vel sic legi per unum ex prædictis Sociis procurabit; ipseque primum, seniore Socio præsente juramentum ab ipso exigente, religiose jurabit, quod neque propter invidiam, malitiam, odium, timorem, neque propter conspirationem æmulorum, aut confœderationem, seu procurationem alicujus vel aliquorum, nec prece, pretio, aut alio quocunque modo illicito, inductus, sed solummodo pro bono zelo et utilitate collegii prædicti, et pro salubri et meliore regimine et honore ejusdem, Principalem expellere conatur; et deinde, Viceprincipali juramentum Sociis aliis ministrante, cæteri omnes, suo quique ordine, similiter jurabunt. Quibus rite peractis, Viceprincipalis et reliqui omnes Socii præsentes, Viceprincipali et duobus maxime senioribus tum præsentibus scrutinium excipientibus, in pergameno quid de Principalis amotione sentiant distincte et plane, propriis quique manibus, conscribent, una cum causis propter quas amovendum judicabunt. Quod si, suffragiis per Viceprincipalem et dictos duos maxime seniores computatis, major pars suffragantium in dicti Principalis amotionem non consenserit, tum ab omni ulteriori processu ad ejus amotionem spectante, pro illo tempore et causa, cessari volumus. Si autem pars major amovendum decreverit, statuimus et ordinamus ut, quo famæ et honori collegii, quantum fieri potest, consulatur, et reliqui sibi fraterne, uti decet, eum amovendo agendum intelligant, ante alium quemcunque ulteriorem

Causes for which the Principal may be removed.

Manner of proceeding in removal.

Digitized by Google

processum de ejus amotione faciendum, per Viceprincipalem, assistentibus ei duobus maxime senioribus Sociis tum in Universitate præsentibus, interpelletur et moveatur ad sponte et gratis resignandum aut cedendum suo officio; utque, si dictæ interpellationi aut monitioni auscultaverit, et intra quatriduum sponte cesserit, ad novi Principalis electionem, juxta statutum de electione Principalis superius descriptum, procedatur. Si vero vel monitionem ejusmodi contempserit, vel, infra spatium quatuor dierum, dictam interpellationem aut monitionem proxime sequentium, non resignaverit aut loco cesserit, volumus ut dictum scrutinium per dictos duos maxime seniores, cum literis actionem hanc omnem declarantibus, sigillo communi dicti collegii aut alio sigillo auctentico sigillatis, et signo ac subscriptione alicujus publici notarii communitis, deferantur Visitatori vel ejus locum tenenti, prout infra decernitur, humiliter et obnixe petentibus, ut, audita causa, ad Principalis amotionem procedere, ipsumque prout jus et æquum postulaverit, ab officio suo et omni administratione in dicto collegio, sine ulla dilatione, amovere velit, simulque dicti collegii Sociis denuntiet et injungat, ut ad electionem novi Principalis ex tunc libere, juxta formam in statuto de electione Principalis descriptam, procedant.

30.—*De Sociis promotis; et causis recedendi a collegio.*

Forfeiture of Fellowship by promotion.

Item statuimus, ordinamus et volumus, quod quilibet Socius dicti collegii habens patrimonium, feodum, annuam pensionem, præbendam, liberam capellam, aut beneficium ecclesiasticum perpetuum quodcunque, cum cura vel sine cura, quod summam decem librarum communibus annis excedat, Societatem et jus ejusdem collegii, immediate post unum annum a tempore quo hujusmodi patrimonium, feodum, pensionem, præbendam, liberam capellam, aut perpetuum aliud beneficium ecclesiasticum, acquisierit continuo numerandum, amittet. Infra tamen Universitatem, permittimus iis ut cum collegio pensionem annuam quamcunque, sive stipendium pro lectione publicæ vel privatæ cujuscunque lecturæ, recipere valeant. Principalem vero dicti collegii propter aliqua beneficia ecclesiastica, redditus vel proventus, spirituales seu temporales, cujuscunque valoris existant, per ipsum obtenta vel in posterum obtinenda, ab officio Principalis amoveri nolumus; dum tamen in dicto collegio resideat, et officium suum juxta statutorum exigentiam præstet et exequatur. Præterea, si quis Sociorum prædictorum e regno Angliæ sine licentia debita et in hoc casu consueta discesserit, aut sacris aliter quam juxta morem ecclesiæ Anglicanæ initiatus fuerit, uxoremve duxerit, vel ab ipso collegio animo studium totaliter deserendi recesserit, vel per sexaginta dies continuos vel non continuos ab eodem, sine legitima causa per Principalem et majorem partem Sociorum in Universitate præsentium approbata, se in eodem anno absentaverit, aut in studio literarum

Principal may hold benefices of any value.

Forfeiture of Fellowship by absence, marriage, crime, &c.

Digitized by Google

tam negligenter se gesserit, ut de tolerabili ejus progressu desperari merito possit, volumus, ut a dicto collegio et Societate, post trinam monitionem per Principalem et, eo absente, Vice-principalem, cum consensu Sociorum in Universitate præsentium vel majoris partis eorundem, amoveatur. Similiter quoque cum eo agi volumus, quem homicidium, furtum, rapinam, adulterium, perjurium, sacrilegium vel simoniam, seu gravem lapsum carnis, vel aliam notam turpitudinis (quod absit!) incurrere contigerit, et qui noctivagus fuerit, et qui muros dicti collegii scanderit, aut aliud grave delictum commiserit, per quod non mediocre scandalum in dicto collegio sive extra fuerit suscitatum, aut rixosus aut jurgiorum inter Socios vel non Socios suscitator creber extiterit, seu aliter se intolerabilem in collegio prædicto ostenderit; postquam de aliquo præmissorum, per facti evidentiam, confessionem propriam, testes idoneos, seu quemvis alium modum legitimum, constiterit. Si vero de aliquo præmissorum modo legitimo non constiterit, sed de aliquo præmissorum probabiliter secundum judicium Principalis sit suspectus, tum Principalis injungat ei purgationem, adigatque ad inducendum duos Socios dicti collegii, de tali delicto non suspectos; qui jurabunt, tactis per ipsos et ipsorum quemlibet sacrosanctis Dei Evangeliis, quod credant delictum, de quo sit suspicio, ipsum non commisisse, sed suspectus simpliciter quod illud non commisit; quem si sic non fecerit, a prædicto collegio, modo quo antedictum est, amovendum decernimus. In levioribus autem delictis, excessibus et criminibus, sive suspicionibus, leviori modo, et secundum commissi et delicti qualitatem, per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem procedatur, adhibita nunc unica, nunc altera, nunc etiam trina admonitione, partim privatim, partim coram testibus, vel uno vel, si opus fuerit, pluribus. In quibus si se penitus incorrigibilem ostenderit, volumus eum a collegio prædicto similiter amoveri. Si vero aliquem Sociorum incurabili morbo vel contagioso, ut lepra vel consimili (quod absit!), infici contigerit, ne cæteri læsionem vel infectionem per eum patiantur, a cohabitatione Sociorum, quocunque voluerit se intra regnum Angliæ divertat, et pro jure Societatis (dummodo caste vixerit, nec matrimonio copulatus fuerit, nec summam decem librarum ullo modo expendere per annum valeat) quadraginta solidos annuatim, et non ultra, de bonis dicti collegii percipiat; ita ut in nullis collegii negotiis aliquod præterea jus vel interesse habeat. Volumus, insuper, ut percutiens Principalem, Viceprincipalem, aut ejus vicem gerentem, ipso facto a collegio sit expulsus; nisi Principalis et major pars Sociorum in Universitate præsentium judicaverint aliter quam per expulsionem puniendum, et, ulterius, pœnam pecuniariam in statutis dicti collegii limitatam subire et sustinere faciant. Item, volumus quod nullus spontanee recedens a dicto collegio, et in aliud collegium vel aulam admissus, iterum

Purgation, in cases of suspicion.

Lighter offences.

Allowance to Fellows in cases of illness.

Expulsion for striking Principal, &c.

Re-admission after entering another College.

Digitized by Google

in dictum collegium tanquam Socius recipiatur, nisi per Principalem et majorem partem Sociorum in Universitate præsentium rursum fuerit admissus; quodque nullus, a dicto collegio propter crimen aliquod expulsus, neque sic tanquam Socius vel non Socius vel serviens admittatur.

31.—*De numero Sociorum, si necesse fuerit, diminuendo.*

Quia in statutis collegii prædicti facta est specialis ordinatio de uno Principali, et sedecim Sociis, et sedecim scholaribus, si collegii redditus ad onera supportanda non sufficiant, statuimus et ordinamus ut numerus Sociorum et scholarium, juxta discretionem Principalis et Sociorum vel majoris partis eorundem, ex consensu Visitatoris, per aliquod tempus imminui possit ad numerum facultatibus collegii congruentem, utque, donec facultates antedictæ ad ejusmodi summam excrescant, ut pleno Sociorum numero juxta ratam aliquam proportionabilem sufficiant, sint, pro mensura facultatum, aliqui Socii stipendiarii, residua dicti numeri parte existente de Sociis, qui honorarii nominabuntur, et nihil emolumenti a bonis dicti collegii accipient; suffragia tamen in eligendo Principali, Sociis et scholaribus, habebunt, si præsentes fuerint in academia.

Diminishing number of Fellows.

32.—*De servientibus collegii.*

Item statuimus, ordinamus et volumus, quod in dicto collegio sit unus moribus honestis, fidelis et discretus, qui obsonator vocabitur, vulgo "*a manciple;*" qui, cum supervisione senescalli aulæ, singulis septimanis, victualia pro communiis Principalis, Sociorum, scholarium, et aliorum in collegio degentium, numerata pecunia emet. Atque immediate post cujusque hebdomadæ finem, coram Principali aut Viceprincipali, bursario etiam et senescallo præfato, computum et rationem de omnibus per ipsum hebdomada illa emptis reddet. Hujus quoque erit, singulis refectionibus, in coquina præsto esse; si quid cibi in coquina battellandum supersit, promo statim tradere, ut in commodum collegii cedat: denique, in omnibus quæ ad hoc munus spectare videbuntur, bursario fideliter obediat. Item, volumus ut sit in promptuario dicti collegii unus promus, qui in promptuario, ad deserviendum Principali, Sociis et scholaribus, ejusdem collegii, jugiter debeat horis congruis permanere, et, ne quid in collegii detrimentum consumatur, providere. Librum quoque rationum omnium in suo officio consumptarum fideliter custodire, et in eo quod justum et æquum sit imponere; præterea, eorum omnium quæ in promptuarium deferuntur, utpote panis, potus, butyri, casei, aliorumque victualium et necessariorum, singulis septimanis, et etiam in fine cujusque termini, ut opus fore videbitur, rationem reddere. In coquina vero volumus quod sit unus coquus superior, qui victualia et communias curet, et obsonatori prædicto et senescallo in emptionibus eorundem assistat; unusque alius vel

Duties of the manciple.

The butler.

The cook.

Digitized by Google

plures, prout Principali videbitur, qui ibidem quoque subserviat.

The porter and barber.

Statuimus, etiam, quod sit unus janitor, qui portis et ostiis communibus dicti collegii claudendis et aperiendis temporibus debitis assidue intendat, et barbitonsoris etiam in dicto collegio officium exerceat, et circa Principalem, Socios, scholares et servientes, dicti collegii præstitutis diebus officium illud diligenter exequatur; aliis vero temporibus Principali præcipue inserviat. Illud districte simul ordinantes, ut promus, coquus et janitor antedictus, cœlibes sint et non conjugati, utque nulla omnino fœmina, ad exercendum aliquod officiorum prædictorum aut aliud quodcunque, infra præcinctum dicti collegii admittatur.

Servants to be unmarried, and males.

To be sworn.

Item, ut, priusquam aliquis eorum ad officium aliquod admittatur, coram Principali aut, eo absente, Viceprincipali [et bursario] corporale suscipiat juramentum, quod secreta collegii, si quæ audierit, non revelabit, quodque omnia quæ ad suum attinent officium, bene et fideliter, æque et juste, sine fraude et deceptione aliqua, exequetur. Præterea, quo sinistra omnis suspicio melius evitetur, statuimus ut lotrices omnes mappas et alia vestimenta usualia, tam collegii quam Sociorum et aliorum ibidem commorantium, lavanda, ad portas tantum recipere et deliberare compellantur. Eæque talis tum ætatis tum conditionis existant, ut verisimile non sit ex iis sinistram [aliquam] suspicionem orituram. Dictos autem servientes et ministros alios dicti collegii quoscunque per Principalem solum admitti et amoveri volumus; qui annuatim, pro suis communiis et salariis, recipient prout Principalis, Vice-Principalis et bursarius, consideratis collegii facultatibus, assignaverint.

The laundresses.

Servants to be appointed by Principal.

33.—*De extraneis non introducendis.*

Ut unusquisque scholaris melius studiis vacare possit, statuimus, ordinamus et volumus, quod nullus Sociorum, scholarium sive servientium, dicti collegii extraneum vel extraneos, unum vel plures, in dictum collegium introducendo, cuiquam Sociorum vel scholarium prædictorum profectu studii scholastici præstet impedimentum, vel sit in collegio, Sociis vel scholaribus ejusdem, onerosus, præjudicialis vel quomodolibet damnosus. Si tamen alicujus Sociorum vel prædictorum scholarium pater, frater, nepos, consanguineus, amicus, propinquus, vel extraneus, ad eorum aliquem venerit, per præsens statutum non intendimus prohibere quin talem venientem, ex Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis licentia, possit in camera vel aliquo loco convenienti, propriis suis sumptibus, sine onere collegii aliorumque impedimento, recipere et pascere, [ut licebit] per duos vel tres dies, et non ultra; ita tamen, ut nullus dictorum extraneorum infra collegium hospitetur aut pernoctet. Nihilominus, illis extraneis, qui ejusdem collegii Socii vel scholares prius extiterunt, et inde ex causis honestis recesserunt, una cum servientibus ipsorum, ex licentia Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis,

Bringing strangers into College.

Strangers who have previously been Fellows or scholars.

Digitized by Google

pernoctare in eodem posse permittimus. Si quis vero dicti collegii, aut commorantium in eodem, aliquem extraneum ad pernoctandum infra prædictum collegium contra formam hujus statuti admiserit, seu pernoctationis ejusdem causam dederit, pro vice primas sex denariis mulctetur, pro secunda duodecim denariis, pro tertia duobus solidis; et si postea in ea parte deliquerit, pœna contra eum aggravetur, secundum discretionem Principalis vel, eo absente, Viceprincipalis.

Penalty for introducing a stranger to pass the night in College.

34.—*De explanatione dubiorum quorundam in statutis præcedentibus.*

Cum fere nihil tam plane et perspicue scribi possit, quin futuri sint qui aliquam inde occasionem dubitandi arripient, visum est hic quædam de explanatione certorum locorum adjicere. Ubi, igitur, in istis statutis decernimus aliquem expellendum aut amovendum, nec exprimimus per quem aut quos id fieri oporteat, volumus id intelligi ac si statutum esset cum per Principalem et majorem partem Sociorum debere amoveri. Similiter, ubi non exprimimus usum in quem mulctæ inflictæ sunt convertendæ, volumus et ordinamus ut altera earundem pars in pauperes, ex consensu Principalis et bursarii, distribuatur, circa finem cujusque termini, altera vero in usum collegii convertatur; utque de ea bursarius, in magno computo, rationem inter recepta reddat. Item, ubi dicitur hoc vel illud fiat per Principalem vel, eo absente, Viceprincipalem, aut majorem partem Sociorum, vel aliquid tale, volumus et ordinamus ut intelligatur ac si dictum esset id fieri oportere per Principalem et majorem partem Sociorum, aut, eo absente, per Viceprincipalem et majorem partem Sociorum. Item, ubi Principalis et Socii jurejurando se obligant, quod interpretationibus, cum declarationibus et expositionibus, per Visitatorem et ejus successores, de et super dubiis statutorum, faciendis parebunt, id de ejusmodi interpretationibus et declarationibus intelligi volumus quas idem Visitator, pro tempore existens, videlicet, prænobilis Gulielmus, nunc Comes Pembrochiæ et Academiæ Oxoniæ Cancellarius, et hæredes sui masculi, de corpore Henrici, nuper Comitis Pembrochiæ, patris prædicti Gulielmi, provenientes, comites Pembrochiæ existentes; vel si tales hæredes defecerint, extra regnum Angliæ fuerint, infra ætatem, sive ratione alicujus infirmitatis aut criminis (quod absit!) ad exequenda præmissa inhabiles extiterint, durante tali defectu, absentia, minore ætate, seu infirmitate, Cancellarius Angliæ sive Custos Magni Sigilli Angliæ; rediget in scripta, et dicto Principali et Sociis, vel nuntiis collegii ad eos missis in hujusmodi negotiis, tradet in scriptis. Has autem interpretationes et explicationes, manibus facientium easdem signatas, sicuti ipsis tradentur, in collegii archivis asservari, exemplar vero in libro separali, juxta seriem temporis quo factæ sunt, pulchre describi, et iisdem in locis cum istis statutis reponi et custodiri, volumus. Similiter, ubi

Explanation of statute respecting expulsions.

Proceeds of fines.

Principal and majority of Fellows.

Visitors' interpretations of statutes.

Digitized by Google

Forfeiture of commons.

quem subtractione convictus puniendum statuimus, nolumus id ita accipi ac si non liceat Principali aut, eo absente, Viceprincipali permittere, ut sic puniendus, si summam, quam pro convictu toto illo tempore debebit pendere, intra quatuor et viginti horas Principali aut, eo absente, Viceprincipali obtulerit, et ex assensu eorum bursario dissolverit, communias in aula cum reliquis percipiat.

35.—*De statutorum lectione.*

Public reading of statutes.

Item statuimus, ordinamus et volumus, ut hora secunda pomeridiana diei proxime præcedentis initium cujusque termini in Universitate, pars una horum statutorum in quatuor partes dividendorum, convocatis in aulam per Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem omnibus dicti collegii Sociis et scholaribus, et cæteris in eo commorantibus, qui Latinum sermonem intelligunt, palam et publice legatur; ita ut quotannis universa semel ad minimum perlegantur. Qui aliquo tempore huic negotio præstito abfuerit, nisi causa ejus dicto Principali aut, eo absente, Viceprincipali fuerit approbata, duodecim denariis, et qui tardius venerit sex denariis, mulctabitur; modo ex pueris non sit, hos enim verberibus, pro delicti qualitate, volumus proximo correctionum die castigari. Hoc autem ut fiat sine omni vel alterationis, vel læsionis, aut deteriorationis autographi, horum statutorum periculo, statuimus et volumus ut autographon, manibus commissionariorum Regiæ Majestatis signatum, in thesauraria dicti collegii, inter monumenta ejusdem secretiora et momenti majoris, asservetur; exemplar vero eorum unum in bibliotheca vel capella sic remaneat, ut aditus ad illud Sociis et scholaribus dicti collegii omnibus pateat, nec ab ullo portari possit; aliud quoque penes Principalem aut, eo absente, Viceprincipalem semper sit.

Autograph of statutes.

Copies in the library or chapel, and with the Principal.

PEMBROKE. EUB. THELWALL.
W. BYRDE. THEO. PRICE.

Digitized by Google

STATUTES OF JESUS COLLEGE, OXFORD.

INDEX OF SUBJECTS.

Absence of Principal, 68
——— of Fellows, 68, 73
———, asking leave of, 69
Bachelor of Arts, disputations of, 59
———, degree of, 66
Barber, 76
Battelers, admission of, 58
——— to be sworn to observe statutes, 58
Battels, 50
Benefactions, registration of, 63
Benefactors, election to endowments by, 43
———, fellowships endowed by, 45
———, public reading out of names of, &c., 64
Benefices may be held by Principal, 73
Bible, reading the, 57
Birds, keeping, 71
Books, donations of, 64
Buildings, preservation of, 50
Bursar, election of, 49
——— to receive rents, &c., 49
——— to pay stipends, &c., 49
——— to keep accounts, 49
———, various duties of, 50
———, stipend of, 50
Butler, 75
Cards, dice, &c., 71
Catechism, exposition of, 61
Causes, prosecution of, 40
Censor of philosophy, 50
———, duties of, 51
———, stipend of, &c., 51
———, refusal of office of, 51
———, neglect of duties by, 51
Charges, extraordinary, reserve for, 45
College property, admistration of, 40
Commoners, payment by, for commons, 46
———, admission of, 58
———, payments by, 58
Commons, deductions for, 45
———, payment by commoners for, 46
———, forfeiture of, 78
Cook, 50, 75
Corrodies, 65
Debts, 50
Declamations, 59
Degree of Bachelor of Arts, 66
——— of Master of Arts, 59, 67
Dialectics, disputations in, 58
———, Prelector of, *v.* Prelector.
Disobedience, penalties for, 48
Disputations in dialectics, 58
——— in philosophy, 59
——— of Bachelor of Arts, 59
———, necessary for taking Master's degree, 59
——— in theology, 60
——— attendance at, 61
Dogs, keeping, 71
Donations, power to accept, 63
——— of books, plate, &c., 64
Dress, 62
Election of Principal, appointment of day for, 36
———, declaration of day for, &c., 37
——— to Fellowships and scholarships, 41
——— of University officers, 71
——— to endowments by benefactors, 43.
Endowments, augmentation of, 35
Exercises, 60
———, variation of numbers of, 61
Expulsion, 68, 70
———, explanation of statute respecting, 77
Fellowships, elections to, 41
———, qualifications for, 41
——— endowed by benefactors, 45
———, causes of forfeiture of, 73
Fellows, number of, 35
———, absent, waiting for, 36
———, consultations with, 40
———, manner of electing, 41
———, elect, oath of, 42
———, perpetual, admission of, 42
———, expulsion of, 43, 74
———, oath of, 43
———, salary of, 45
——— may be prohibited from entering houses of laymen, 48
———, absence of, 68
———, striking of, 69
———, allowance to in illness, 74
———, re-admission of, 74
———, diminishing the numbers of, 75
Fines, application of, 65
———, amount of, 66
———, proceeds of, 77

Digitized by Google

Gates, closing of, 71.
Greek, conversation in, 57
Hall, remaining in after meals, 57
Hebrew, conversation in, 57
Injuries, prosecutions for, 70
Lands, alienation of, 65
Language, opprobrious, 70
Latin, conversation in, 57
Laundresses, 76
Leases, term of, 65
Lectures, duration of, 52
———, attendance at, 52
———, divinity, attendance at, 53
Library, copy of statutes to be kept in the, 78
Majority, definition of, 37
Manciple, 50, 75
Master of Arts, uncovering before, 57
———, degree of, 59, 67
——— to graduate in divinity, 67
Muniment, custody of, 50
Night, passing out of college, 69
Oath of impartiality, 36, 42
——— of Principal, 38
———, registry of, &c., 40
——— of Fellows elect, 41
——— of Fellows, 43
———, registry of, &c., 44
Offences, lighter, 70, 74
Officers, University, election of, 71
Orders, Holy, time of taking, 68
———, expulsion for not taking, 68
Penalties, 48, 53, 57, 60, 61, 62, 69, 71, 72
Pensions, 65
Philosophy, disputations in, 59
———, Censor of, *v.* Censor,
Plate, care of, 50
———, donations of, 64
Porter, 76
Prayers, daily morning, 53
———, neglect of, 53
———, on Sundays and festivals, 53
———, evening, 53
———, private, 54
———, public morning, form of, 54
——— at meals, 56
Prelector of dialectics, 50
———, election and duties of, 52
———, stipend of, 52
———, correction of, 52
——— to superintend disputations, 59
Principal, qualifications of, 35
———, manner of election of, 36
———, persons eligible as, 36
———, oath of, 38
———, power of, 40, 48
———, salary of, 45
———, disobedience to, 48
———, uncovering in presence of, 57
———, absence of, 68
———, causes of removal of, 72
Principal, manner of proceeding in removal of, 72
——— may hold benefices, 73
———, striking of, 74
——— to appoint servants, 76
——— to keep a copy of the statutes, 78
Probation, year of, 42
Purgation, 70, 74
Receipts, deposit of in the treasury, 50
Salaries, deductions from, 45
Seal, Common, 66
Seneschal of the hall, 62
Sermons, University, attendance at, 53
Servants, taking out of college, 69
———, regulations respecting, 76
——— to be appointed by Principal, 76
Scholarships, election to, 41
Scholars, number of, 35
———, preference among, 41
———, election of, &c., 43
———, salaries of, 45
———, causes of expulsion of, 70
Statutes, reading of, 36, 42
———, respecting expulsion, explanation of, 77
———, interpretation of by visitor, 77
———, public reading of, 78
———, autograph of, 78
———, copies of, to be kept in the library or chapel, and with the Principal, 78
Steward, 50
Strangers, introduction of, 76
——— who have been fellows or scholars 76
———, passing the night in college by, 77
Striking non-Fellows, &c., 69
———, Principal, 44
Study, hindering of, 71
Thanksgiving, form of, 64
Themes, 60
Theology, disputations in, 60
Treasury, deposit of receipts in, 50
Vice-Principal, manner of election of, 46
———, residence of, 46
———, duties and powers of, 46, 48
———, severity or leniency of, 47
——— to be sworn, 47
———, stipend of, 47
———, refusal of office of, 47
———, neglect of duties by, 47
———, disobedience to, 48
———, uncovering in presence of, 57
Visitor, interpretation of statutes by, 77
Uncovering before Principal, Vice-Principal, and Masters, 57
Votes, scrutiny of, 37, 42
Walking alone, 48
Weapons, 70
Wool, sale of, 84
Year, commencement of, 69

Digitized by Google

BENEFACTIONS TO JESUS COLLEGE, OXFORD.

Dr. Hugh Price.

The first benefactor unto the College was Hugh Price, born in Breconshire, LL.D., Tresurer of St. David's and first prebend of the church of Rochester, as appears by a register-book still remaining in that church.

It is generally thought that he was, in his younger days, one of the monks of the Abbey of Osney.

He procured the charter of foundation from Queen Elizabeth, purchased some parcells of ground adjoyning unto White Hall, got a lease of Laurence Hall from Lincoln College, and built all the buildings towards the east and south.

His whole charge is not so well known, but commonly reported to have been 1500*l.* or thereabouts.

It is as uncertain what sums of money he bequeathed by his will to the College, but at the time of Principal Williams's death it was 700*l.*, in the hands and custody of the Warden and Fellows [of] All Souls.

Of this money, 400*l.* was delivered to Principal Powell; with part whereof he purchased of Mr. Henry Rogers the lands in Dorston, in the county of Hereford. The rest he employed towards building of the Hall. The same book says that Sir Eubule Thelwall received the other 300*l.* and disbursed the same in finishing the building.

V. Eub. Thelwall.

Bp. Westphaling.

Sometime student of Christ Church in Oxon, D.D., and afterwards Bishop of Hereford.

He bequeath'd by will, and afterwards his son and heir convey'd by deed unto the College, the manor of Bache and Sidcomb, alias Sibcombe, in the parisses of Clifford and Dorston, in the county of Hereford.

The use of this his gift was to raise two Fellowships and two scholarships in this College, to which his kindred are to be preferred before all others; whereof more at large in his will and the deed of conveyance by his son.

The clause of his will:—

"Item, I give and bequeath to Jesus College in Oxon all the

Digitized by Google

